DE
LACEDÆMONIORUM REIPUBLICÆ
SUPREMIS TEMPORIBUS

(222 — 146 a. C.)

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

C. PETIT-DUTAILLIS
UNIVERSITATI AD DOCENDAM HISTORIAM AGGREGATUS

LUTETIÆ PARISIORUM
TYPIS MANDABAT P. NOIZETTE
8, VIA DICTA CAMPAGNE-PREMIÈRE, 8

M DCCC XCIV

DE
LACEDÆMONIORUM REIPUBLICÆ
SUPREMIS TEMPORIBUS

(222 — 146 a. C.)

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

C. PETIT-DUTAILLIS
UNIVERSITATI AD DOCENDAM HISTORIAM AGGREGATUS

LUTETIÆ PARISIORUM
TYPIS MANDABAT P. NOIZETTE
8, VIA DICTA CAMPAGNE-PREMIÈRE, 8

M DCCC XCIV

PROOEMIUM

« Τὰ μὲν οὖν πάλαι καὶ τὰ πλείω περὶ Λακεδαιμονίων εἰς ἑκάτερον « μέρος ὑπὸ πολλῶν εἴρηται · τὰ δ' ἐναργέστατα ἐστὶν, ἀφ' οὗ Κλεο- « μένης ὁλοσχερῶς κατέλυσε τὸ πάτριον πολίτευμα (1). » Hac Polybii sententia consilium nostrum comprobatur. Nobis enim illud sumpsimus, ut suprema tempora Lacedæmoniorum reipublicæ usque ad Græciam in Romanorum potestatem redactam edissereremus, adhibitis et Polybii historiæ reliquiis, et scriptis aliorum auctorum qui sæpissime eum secuti sunt, sed opus ejus integrum habuerunt cognitum. Quæ ab illis semper Achæorum societatis laudatoribus narrata sunt non cito putare pro certis, sed nostris ponderibus examinare voluimus. Inscriptiones quoque quam accuratissime collegimus; sed rari sunt tituli laconici illius ævi.

Initium capiet narratio nostra a quo tempore rex Cleomenes III, ad Sellasiam victus, Spartam relinquere coactus fuit. Non enim operæ pretium erat res ante actas rursus narrare de integro, quum jam quæstionem omnium maximam *de jure præditorio* disceptasset acutissimus vir Fustel de Coulanges (2), et motus conversionesque reipublicæ docti Droysen (3), Neu-

1. Polyb., IV, lxxxi, 14.

2. *Etude sur la propriété à Sparte.* (*Nouv. Recherches sur quelques probl. d'histoire.*)

3. *Histoire de l'Hellénisme, traduite de l'allemand sous la direct. d* A. Bouché-Leclerq, vol. III.

meyer (1), Gehlert (2) et multi alii, Plutarchum secuti, descripsissent. Quorum tamen operum quibusdam partibus minime contenti, in procemio quid nosmet de rebus ab Agide et Cleomene novatis senserimus breviter contrahere decrevimus.

Satis constat in fere omnibus Græcorum civitatibus, ex quo vincula communis vitæ antiquæ divulsa sunt, egentes ac divites inter se perpetuo pugnasse duello. Apud Athenienses ipsos, qui tranquille vitam traducebant, philosophi perfectæ reipublicæ speciem cogitatione assecuti sunt. Omnibus locis, multi novas res volebant (3). At rebus quidem ab Agide et Cleomene novatis signa propria sunt impressa. Lacedæmone enim, ut ait Aristoteles, « πρὸς μέρος ἀρετῆς ἡ πᾶσα σύνταξις τῶν νόμων « ἐστί, τὴν πολεμικήν » (4). Tertio sæculo a. C. Lacedæmoniorum respublica a vetere gloria desciverat nec excitari poterat nisi novis legibus; non ob aliam causam Agis et Cleomenes statum civitatis convellerunt.

Messeniis ab Epaminonda servitute liberatis, Spartani, in Laconiam redacti, otio hebescebant. Peloponnesii societates novas, non vero Spartanis ducibus ut ante, instituebant. Ex quo Aratus, Achæorum societatis prætor, in eam Sicyonios liberatos assumpsit, summam rerum Peloponnesiarum, quæ olim Spartanis magistratibus permissa erat, penes illum esse putari potuit (5).

1. *Agis und Kleomenes* (Amberg, 1881).

2. *De Cleomene* III (Lipsiæ, 1882).

3. V. Fustel de Coulanges, *Cité antique*, p. 397 et seq. — Pœhlmann, *Geschichte des antiken Kommunismus und Sozialismus*, vol. I, cap. II, III, IV.

4. Aristot., *Polit.*, II, vi, 22 (Edidit Susemihl; Lipsiæ 1872 in-8, p. 128.)

5. Freeman, *Federal government* (second edit., 1893), p. 276 et seq. — Marcel Dubois, *Ligues étol. et ach.*, p. 47 et seq.

Quid erat cur Spartani e fastigio detracti essent? Num alii Lacedæmoniorum ordines cum aliis concordissime viverent quærere non convenit; patet enim periœcos et ilotas semper a Spartanis dissedisse (1) et nihilominus Spartanos memorandum nomen condidisse. Cur Spartani, scilicet *cives*, qui terrore ceteros Lacedæmonios sub imperio semper tenuissent et adhuc tenerent, Peloponnesios ceteros in potestate non jam haberent quærere tantum opus est.

Phylarchus et ejus imitator Plutarchus Spartanos Agidis ætatis avaritia, luxu deliciisque corruptos esse referunt (2). Verum esto; at jamdiu his vitiis respublica inficiebatur, testibus Aristotele atque etiam auctoribus antiquioribus (3). Agidis verum tempore alia res annotanda est : civium Spartanorum, per quos et pro quibus inprimis bella agebantur et laus acquirebatur,numerus valde imminutus erat. Forsitan aliquis dicat, auctore Polybio, omnes Græcorum civitates illa tempestate ob hominum penuriam solitarias invalidasque fuisse (4). At Lacedæmone a bellis Medicis saltem deficere homines cœperunt et in dies pauciores facti sunt (5). Ad extremum, Agidis tempore, superabant haud plures septingenti Spartani (6). Non omnes causas rei a nostris

1. V. quid XENOPHON de conjuratione a Cinadone facta dixerit : *Hist. Græc.*, III, III, 5-6. — Cf. ARISTOT., *Polit.*, II, VI, 2 (Susemihl, p. 115).

2. PHYLARCH., *fragm.* 43 (Muller, *Fragm. hist. Græc.*, I, 346). — PLUT., *Agis*, III, 1.

3. ARIST., *Polit.*, II, VI, 16 (Susemihl, p. 124). — PLAT., *Leges*, I, p. 637; *Alcib.*, I, XVIII. — XENOPH., *Resp. Lac.*, XIV. — Cf. FUSTEL DE COULANGES, *Nouv. Recherches*, p. 90 et seq.

4. POLYB., XXXVII, IV, 4-7. Hoc loco Polybium ad cives, nec ad universos Græciæ incolas spectare credimus.

5. Cf. auctores allegatos ap. FUSTEL DE COULANGES, *Nouv. Recherches*, . 108.

6. PLUT., *Agis*, V, 4.

historicis propositas (1) excutere, at illas quæ maxime probabiles nobis videntur disserere volumus.

I. Ordo Spartanorum quasi clausus erat. Dignitatem suam retinebant, nec matrimonio nisi inter se jungebantur, quin etiam nuptias inter propinquos sæpissime contrahebant (2). Quæ quum ita sint, vim generandi paulatim imminui necesse est. Quod ad eos attinet, qui sanguinem suum contaminabant, eorum liberi capitis deminutionem subibant (3).

II. Assiduis bellis multi cives perierunt (4); multi quoque mercede conducti in alias terras avecti sunt ab externis, qui Spartanos magni faciebant; multi migraverunt laudis vel commodi causa (5).

1. V. præcipue Fustel de Coulanges, *Nouv. Recherches*, p. 101 et seq. — Claudio Jannet, *Institutions sociales et droit civil à Sparte*, (1880), p. 113 et seq. — Hermann, *Lehrbuch*, I, (1889), 257 et seq.

2. Cl. Jannet, *op. cit.*, p. 94 et seq.

3. Fustel de Coulanges, *op. cit.*, p. 102.

4. Ut exemplum supponam, in pugna Leuctrica ex septingentis Spartanis quadringenti interfecti sunt (Xenoph., *Hist. Græc.*, VI, iv, 15).

5. In Tænaro erat, ut ita dicam, forum mercenariorum (Diodor., XVIII, 21). Plurimi sine dubio Spartani cum Clearcho a Cyro conducti erant. Primo bello Punico, Xanthippus Carthaginiensibus operam dederat egregiam, nec dubium est quin inter mercenarios Græcos ab Hannibale conscriptos Spartani nonnulli fuissent. (Cf. Polyb, XI, xix, 4). In Alexandria urbe, Ptolemæi Evergetæ et Ptolemæi Philopatoris tempore, aderant tria millia Peloponnesiorum stipendiariorum (Polyb., V, xxxvi, 4), inter quos certo Spartani plurimi. F. Durrbach edidit (*Bullet. de corresp. hellén.*, ann. 1885, p. 510-511) titulum Tegeæ effossum, scilicet nominum indicem, quæ militum a Tegeatis conductorum esse videntur; inter eos invenis Lacedæmonios. Reges ipsi Spartanorum sæpe cum militibus solum vertebant et gentium externarum negotiis bellisque se immiscebant: sic anno 361 a. C. Agesilaus Ægyptum adit (Plut., *Agesil*, XXXVI); posterius Archidamus III Tarentum (Diodor., XVI, 63. — Strab., VI, iii, 4); anno 332 Agis II Cretam (Diodor., XVII, 48); anno 303 Cleonymus Thurios (Diodor., XX, 105. — Liv., X, 2). — Acrotatus, Cleomenis regis filius, ab Agrigentis belli contra Agathoclem gerendi dux creatus fuit (Diodor.,

III. Doctissimus vir Fustel de Coulanges putavit multos Spartanos, non solum sontes et ignavos, sed etiam istos qui pro civibus se non gererent, eos scilicet quibus tenuiores opes essent quam ut syssitiorum suam partem sustinerent, aut eos qui commercium vel artificium aperte exercerent, capitis deminutionem subisse; imo multos non solum non vitasse sed quæsivisse infamiam, qua conditio vivendi expeditior fieret (1). Hoc dictum nobis videtur immoderatum. Infamiam a Spartanis quæsitam esse nihil enim ostendit. Præterea civitate quemquam omnino exui insolitum erat : plerosque infames (ἀτίμους) non quidem in civibus optimo jure qui vocabantur *Pares* (ὅμοιοι), attamen in civibus habitos esse credimus (2). Quum in numero septingentorum Spartanorum a Plutarcho prolato non solum *Pares* sed etiam, ut nobis videtur, cives exuti aliqua civitatis parte reponendi sint, doctus igitur Fustel de Coulanges cur non amplius septingenti essent cives non nobis rationem reddidit.

Credimus tamen legem Lacedæmoniorum ad Doriensem ordinem exhauriendum non parum momenti habuisse. Nam, dicat licet historicus quem ante scripsi, haud dubium est quin Spartani inter *Pares* numerari vehementer cuperent et illos puderet de gradu cum posteris suis paupertatis causa dejici. Itaque Spartani ita se

XIX, 70). — Leonidas, de quo nobis dicendum est, apud Persarum regem in deliciis diu mansit (Plut., *Agis*, III, 6).

1. Fustel de Coulanges, *op. cit.*, p. 103 et seq.

2. Doctissimo viro Fustel de Coulanges fuit præcipuo argumento Thucydidis locus de Spartanis Sphacteriæ captis et capite deminutis (Thucyd., V, 34). Sed ut ipse fatetur (p. 103, sub n. 1), « le passage de Thucydide « semble indiquer qu'à Sparte il y avait des degrés dans l'atimie ». Præterea, illis Spartanis infamiam deinde levatam esse fert Thucydides. Adeo capitis deminutionem horrebant et illi qui eam subibant et illi qui eam edicebant !

gerebant ut paucissimos liberos gignerent : tres aut quatuor fratres, imo et plures aliquando, una uxore sæpe contentos fuisse et natos communiter ab eis educatos esse, necnon in more positum esse ut is qui jam satis multos liberos suscepisset, uxorem alicui amico cederet fert Polybius (1). Hoc modo, lex rei militaris, qua regebantur cives Spartani, eos exstinguebat, nec immerito Aristoteles syssitiorum institutionem magno damno fuisse existimabat (2).

Non quidem solum numerus civium Agidis tempore minimus erat, sed etiam ferme centum Spartani ex septingentis prædia tenebant (3). Quæ res diligentissime notanda est; nam prædia in Græcia erant haud parvi momenti, eximiumque in rempublicam animum illi gerebant qui bona sua habebant defendenda. Spartanos nihil possidentes Plutarchus refert fuisse imbelles (4). Quo pacto ex septingentis Spartanis sexcenti bonis evoluti essent nunc breviter disputandum est.

Satis constat Messeniam, post pugnam Leuctricam, ereptam esse Spartanis fere totam (5). Quo facto eorum opes haud parum minutæ sunt; at non adhuc intelligimus cur intus in Laconiæ finibus penes perpaucos essent Spartana prædia. Philippus agros quosdam Spartanis

1. Polyb., XII, vi *b*, 8. — Cf. Aristot., *Polit.*, II, vi, 13 (Susemihl, p. 122).

2. Aristot., *Polit.*, II, vi, 21 (Susemihl, p. 127).

3. *Agis*, V, 4 : « ... καὶ τούτων ἴσως ἑκατὸν ἦσαν οἱ γῆν κεκτημένοι καὶ κλῆρον. » Cf. Aristot., *Polit.*, II, vi, 10; VIII, vi, 7 (Susemihl, p. 120, 535). — Quum *Pares* tam pecuniosi esse deberent ut syssitiorum suam partem sustinere possent, ex his apparet *Pares* centum fuisse eo tempore. Præterea *Pares* semper perpauci fuerant : v. Fustel de Coulanges, *Cité antique*, p. 407.

4. *Agis*, V, 4.

5. Diodor., XV, 66.

ademptos populis vicinis attribuit (1), civibus hoc modo spoliatis damnum non præstatum esse totum verisimile est. Sed causæ majores quærendæ sunt. Rationes a Plutarcho redditas excutiamus. A Lycurgo τὴν Λακωνικὴν εἰς τὸ ἄστυ τὴν Σπάρτην συντελοῦσαν, id est agrum uberiorem qui *ager civicus* (χώρα πολιτική) apud Polybium dicitur (2), in novem millia partium novem millibus civium assignatum esse; rerum statum diu nihil commutatum esse; at quadam die, lege ab Epitadeo ephoro perrogata, qua partium assignatarum possessores eas cuilibet donare aut legare possent, statim plerosque heredes necessarios exutos esse et bona paucorum fuisse tradit Plutarchus (3).

Probe vero multi recentiores historici simplicis viri Plutarchi dicta in dubio posuerunt. Primum liquet a Doribus gradatim Laconiam subactam esse et minutatim medium uberioremque agrum eis assignatum esse (4). Cum doctissimis viris Grote, Fustel de Coulanges, C. Jannet, Pœhlmann (5), Lycurgeam assignationem,

1. Polyb., IX, xxviii, 7.

2. Polyb., VI, xlv, 3. — Pœhlmann, *op. cit.*, p. 86, bene notavit græcum nomen latina voce *agri publici* reddi non posse.

3. Plut., *Lycurg.*, VIII ; *Agis*, V. Cf. Aristot., *Polit.*, II, vi, 10 (Susemihl, p. 120).

4. Duncker, *Ueber die Hufen der Spartiaten* (*Monatsberichte der Akad.der Wissensch. zu Berlin*, 1881), p. 138 et seq.

5. G. Grote, *Hist. de la Grèce, traduite de l'anglais par* A. L. de Sadous, III, 322 et seq. — Fustel de Coulanges, *Nouv. Rech.*, p. 53-54. — Jannet, *op.cit.*, p. 58 et seq. — Pœhlmann, *op. cit.*, p.80-81,104-146, 208-209; hic non injuste dicit : « Das traditionelle Bild Altspartas « zeigt wesentliche Züge des Staatsromanes. » Jam Montesquieu his verbis usus est : « Quand vous voyez dans la vie de Lycurgue les lois « qu'il donna aux Lacédémoniens, vous croyez lire l'histoire des Séva- « rambes. » (*Espr. des lois*, IV, 6). Henricus Houssaye causam pro Lycurgo sustinere inepte atque ex vano conatus est (*La loi agraire à Sparte*, in *Annuaire de l'Assoc. des Études grecques*, ann. 1884, p. 161 et seq.).

quæ in nullo scripto ante alterum sæculum tradita est, paulo ante Agidis ætatem a philosophis fictam esse credimus, quum mala sui temporis ægre paterentur et veteres beatissime vixisse mente conciperent (1). Quid mirum? Non aliter Isocrates Atheniensium priora tempora falso edisseruit. Non aliter auctores quidam ætatis nostræ, inter quos illi qui socialistæ vocantur, privati ac separati agri apud veterrimos Europæos nihil fuisse asseverant (2). Ex Plutarchi dictis hoc solum perspicuum est Dores Laconiæ subactæ partem feracem inter se divisisse, et prædia cujusque familiæ individua fuisse nec in mancipatum venisse (3), ex consuetudine sacra inter omnes veteres Græcos recepta (4), a Spartanis vero diutius quam ab aliis servata.

1. Præterea Plutarchus pristinos Spartanos diu passos esse eadem quæ Spartani Agidis ætatis, eosque deinde, Lycurgi beneficio, beate vixisse affirmat. Quo magis credendum est Lycurgeam agri assignationem a philosophis tertii sæculi inventam esse.

2. V. Pœhlmann, *op. cit.*, p. 144-145. Satis constat quibus nervis Fustel de Coulanges hunc errorem refutaverit.

3. Fustel de Coulanges, *Nouv. Recherches*, p. 96, 98. — G. Mallet, *La propr. foncière à Sparte* (*Rev. de l'Instr. publ. en Belg.*, ann. 1879), p. 246, 249.

4. *Cité antique*, p. 73. — In multorum veterum populorum vel silvestrium hominum moribus hanc legem invenias. Unum exemplum ponemus : « Qu'aucune terre ne soit vendue à Tahiti non plus qu'à Moorea ; « qu'on laisse la terre ; qu'on ne la vende point, et qu'elle passe de génération en génération entre les mains de ceux qui en sont les vrais propriétaires. L'homme qui s'obstinera à vendre sa terre à une autre personne, sera jugé et condamné à creuser cinquante brasses de route ; on « prendra cette terre qu'il voulait vendre, et il sera banni sur une autre « terre pour y demeurer. Si cet homme a des parents, on leur remettra la « terre confisquée, et s'il ne reste personne de sa famille, que lui seulement, on remettra la terre entre les mains de la reine et du gouvernement pour qu'elle y reste. » (*Livre des lois pour la conduite du gouvernement de Pomaré-Vahine à Tahiti, Titre XII, art.* 1er. Papeete 1845.) In tablino avunculi magni nostri, Caroli Dutaillis, quondam navis præfecti in Oceaniam missi, hoc opusculum rarissimum invenimus.

Aliunde Plutarchus non expedivit quare, statim post legem ab Epitadeo perrogatam, multi heredes necessarii prædiis suis expulsi fuerint. Nostri autem historici illi interrogationi respondisse videntur :

Jam ante Peloponnesiacum bellum, alii Spartani erant divites, alii pauperes (1). Nam quid ita? Primo, quo tempore nondum avita bona plerisque Spartanis adempta erant nec in mancipatum venerant, plures tamen agri civici partes unus Spartanus habere poterat, quum, reipublicæ civibus exhaustæ causa, filiæ heredis patrimonium ejusque mariti possessiones jungerentur (2) et civium sine posteris mortuorum bona bonis consanguineorum adderentur. Præterea Spartani possessiones extra agrum civicum habere poterant (3). Postremo aliqui amplissimam pecuniam fecerant et, lege in ludibrium versa, assidue auxerant (4). Sic fiebant divites. At plerique Spartani avitum agrum unice possidebant ab

1. V. Fustel de Coulanges, *Nouv. Recherches*, p. 90 et seq.

2. Aristot., Polit., II, vi, 11 (Susemihl, p. 120-121). Cf. quid Fustel de Coulanges de filia herede scripserit : *Nouv. Recherches*, p. 37 et seq.

3. Vide quid dixerit, fortasse post Aristotelem, Heraclides Ponticus (*Fragm. hist. Græc.*, II, 211). — Henricus Houssaye, *op. cit.*, p. 175, sub. n. 3, de hac re sic locutus est : « Héraclide de Pont montre aussi, en « disant que la loi spartiate distinguait entre les terres patrimoniales et « les terres d'acquêt, que les lots primitifs ne s'étaient pas maintenus au « nombre fixé par Lycurgue. D'où fussent provenues ces fameuses terres « d'acquêt, sinon des lots primitifs ? Ce n'était point dans la lune apparemment que les citoyens de Sparte possédaient des terres d'acquêt. » At Spartani extra agrum civicum, nisi quidem « dans la lune », sane vero in Laconicis regionibus bona tenere poterant ; præterea ab eis in Messenia agros esse possessos ante Epaminondæ ætatem liquet.

4. Schœmann, *Antiquités grecques, traduites de l'allemand par* G. Galuski, I, 335. — Fustel de Coulanges, *Nouv. Rech.*, p. 91. — Doctissimus vir Adh. Motte quæstum civibus Spartanis lege permissum esse credit (*Le Prêt à Sparte*, in *Rev. de l'Instr. publ. en Belg.*, ann. 1883, p. 232-235). Dioscoridis autem allegat locum (*Fragm. histor. Græc.*, II, 193), qui ad Lacedæmonios civitati non adscriptos fortasse spectat.

ilotis cultum, qui fructus percipiebant et reditus certos possessori solvebant; non autem nescis reditus illos lege antiqua imo sacra constitutos esse nec unquam auctos esse (1), quamvis majore semper luxuria uterentur Spartani ideoque augerentur impensæ. Qui in re familiari valde laborabat agrum suum deminuere ad res necessarias aliquantisper acquirendas non poterat. In his angustiis, eum ab aliquo divite pecuniam sumpsisse, qui, ut res suas reciperet, ejus bonorum furtive quidem at vere in possessionem veniret, doctissimus vir Fustel de Coulanges solerter arbitratus est (2). Paulo post Peloponnesiacum bellum, Epitadeus ephorus legem pertulit, qua hæc instituta comprobabantur. Hinc jam, quum Spartanis bona quæ in agro civico possiderent ad arbitrium donare aut legare liceret, qui in æs alienum inciderat donavit vel legavit prædium suum cui debebat, eoque pacto ager civicus legitime perpaucorum fuit (3). Quæ ratio ad veritatem proxime videtur accedere.

Quamobrem Agidis tempore ex septem Spartanis sex nullam possessionem haberent intelligere cœpimus. Aristoteles aliam addidit causam. Fert enim agrum civicum sua ætate non totum a Spartanis viris possessum fuisse, sed ex quinque portionibus duas fuisse feminarum, quod patres familias dotes grandes filiabus suis conficere assuevissent, ac filiæ heredes, quibus nunc jus esset (fortasse Epitadei legis beneficio) non solum consanguineis sed etiam extraneis nubere, vere

1. Plut., *Instit. Lacon.*, XLI.

2. *Nouv. Recherches*, p. 111 et seq. — Cf. Plut., *Agis*, IV, 4-5 ; XIII, 2-3.

3. *Nouv. Recherches*, p. 116. — Cf. Schœmann, *Ad Plutarch. Agid. commentarium*, p. 106. — Cl. Jannet, p. 131 et seq. — Hermann, *Lehrbuch*, I, 259-260. — Quæ ab Henrico Houssaye (*op. cit.*, p. 177, sub nota) contra sunt dicta jam prius a Fustel de Coulanges dissoluta erant.

agrum possidere cœpissent (1). Id quoque conjectura probabile est feminas ad prædia maxima venisse, Spartanis egentissimis pecuniam tradendo (2): satis enim constat Spartanas mulieres fuisse industrias et in rebus suis gerendis acres opibusque præpotentes, quum eis quæstum nulla lex sustulisset (3). Quæ autem ibat in matrimonium bona sua marito afferebat: utrum quisque centum Spartanorum de quibus apud Plutarchum agitur, per seipsum possessor esset, an plurimi per feminas suas, dici non potest.

Sexcenti Spartani qui bonis suis exuti erant in paupertatem et famulatum inciderant. Quum enim nullum agrum donandum aut legandum amplius haberent, quasi in fide erant divitum quibus debebant (4). Quin etiam inter possessores ipsos multi ære alieno opprimebantur (5). Omnes inopes isti non bellatorum, sed servorum animum gerebant.

Verisimile quoque est periœcos tunc egentissimos fuisse, quum agros jejuniores haberent (6) et numero plurimi essent (7). Præterea, quum bellorum assiduorum

1. Arist., *Polit.*, II, vi, 11 (Susemihl, p. 120-121).

2. *Nouv. Recherches*, p. 114-115.

3. Cf. Plut., *Agis*, IV ; VII, 3.

4. Teste Plutarcho (*Agis*, VI, 5), ille qui Spartano alicui debebat in ejus arbitrio erat. Nihil amplius scimus. Fortasse debitor erat nexus, et cum ilotis exercebat agrum divitis cui nummos reponere non posset.

5. Plut., *Agis*, XIII, 2. — Inter divites Spartanos, alii (οἱ κτηματικοὶ) latifundia habebant: alii (οἱ πλούσιοι καὶ δανειστικοὶ) non solum prædia, sed pecuniam habebant et eam fœnori dabant.

6. Droysen arbitratur periœcorum ipsorum agros a divitibus occupatos esse (*Op. cit.*, III, 404, et 411 sub nota). Hoc vero argumentum non suscipiendum nobis videtur, quum Plutarchi verbis sæpe temerariis servire non conveniat. Verisimilius quidem est periœcos multum vexatos fuisse Messenia adempta.

7. Aristoteles (*Polit.*, II, vi, 12; Susemihl, p. 121) affirmat Spartanorum rempublicam propter *hominum* paucitatem (διὰ τὴν ὀλιγανθρωπίαν)

causa Peloponnesii cuncti facultatibus laberentur (1), rem feliciter gerere negociatores et artifices non poterant. Insuper ex infinito tempore periœcos fortunæ pœnitebat, et juvabat Spartanorum res affectas spectare.

Civitatis statum movere cogitarunt non quidem cives egentes aut periœci, magis demissi quam ut consurgerent ad novas res, at reges Agis et Cleomenes. Hi, patria e fastigio detracta accensi, eam excitare decreverunt, bona in medium conferendo civitatique multos periœcos vel peregrinos adscribendo. Reges enim Spartanorum δημαγωγεῖν solebant (2). Multa vero Agidem et Cleomenem impediverunt. Quamvis Græci justas et legitimas putarent omnes rationes ad patriam servandam initas (3) et longo jam tempore alienigenos homines in civitatem exhaustam ut ea corroboraretur accipere solerent (4), res Spartanorum non commutari nisi per vim potuerunt. Multi enim divites, in primis feminæ, Lacedæmone

periisse. Si vero locum totum accurate revolvas, hoc verbo *oliganthropiæ* significari *civium* paucitatem intelligis. Præterea Droysen (*op. cit.*, III, 571, sub n.) Laconiam adhuc frequentissime habitari manifestum fecisse nobis videtur.

1. Polyb., II, lxii, 3.

2. Arist., *Polit.*, II, vi, 14 (Susemihl, p. 123).

3. Guiraud, *Propriété foncière en Grèce*, p. 206-209.

4. Aristoteles (*Polit.*, II, vi, 12; Susemihl, p. 121) hoc refert de Spartanis ipsis : « Λέγουσι δ' ὡς ἐπὶ τῶν προτέρων Βασιλέων μετεδίδοσαν τῆς « πολιτείας, ὥστ' οὐ γίνεσθαι τότε ὀλιγανθρωπίαν πολεμούντων πολὺν χρόνον. » Cf. Caillemer, *la Naturalisation à Athènes*, in *Mém. de l'Acad. de Caen*, ann. 1880, p. 373. Circa quartum a. C. sæculum, Pharsalii civitate donant centum septuaginta sex inquilinos qui eos in bello adjuverant (Inscr. edit. a L. Heuzey, in *Ann. de l'Assoc. des Et. gr.*, ann. 1869, p. 114 et seq.). In tertio sæculo, ob eamdem causam, Dymæi in civitatem accipiunt quinquaginta duos homines (Dittenberger, *Sylloge inscr.*, 316). In eodem sæculo vel altero, Milesii civitatem dant septem hominibus (Dittenberger, 314). Paulo post annum 214, Larisæ cives suum numerum eodem modo augent (Collitz, *Dialekt-Inschriften*, 345), etc....

præpotentes (1), quæ luxuriæ deliciisque se corrumpendas dederant (2), res novas valde repudiabant, iisque auxilio erant plerique magistratus : ephori enim pecunia capiebantur (3) ; senatus seminarium *Pares* erant (4) ; alter tandem cum altero rege semper dissentiebat (5), adeo ut, altero omnia mutari studente, alter omnia servari studeret.

Agis IV, qui primus ad res novas conspiravit, in optima causa concidit. Hic erat prompti elatique animi, at perindulgens, modestus et nimis credulus (6). Quum effeminate educatus esset, mores mutavit, se vestitu obsoletum coram obtulit, jus nigrum in cibo sumpsit ; ecce autem se idoneum putavit qui rempublicam in pristinam dignitatem restitueret (7). Opinione de Lycurgo tunc celeberrima imbutus et fastigii veterum Spartanorum memor, nova molitus est (8). Non quidem formam optimæ reipublicæ exprimere, sed patriæ suæ pristinas leges et pristinam laudem reddere voluit. Eum ab Achæis victum (9) verecundia cepit et impulit. Brevi et parvo labore adolescentes, semper in magnanimas causas pronos, sibi conciliavit. Plutarchus fert « juvenes « statim, ad virtutem una cum eo sese accingentes,

1. ARIST., *Polit.*, II, VI, 6-7 (Susemihl, p. 117-118). — PLUT., *Agis*, VII, 3. — V. CL. JANNET, *op. cit.*, p. 111-112 ; EGGER, *Projets de réforme dans l'antiquité* (Paris, 1867), p. 52.

2. ARIST., *Polit.*, II, VI, 5 (Susemihl, p. 117). — PLUT., *Agis*, VII, 3.

3. ARIST., *Polit.*, II, VI, 14 (Susemihl, p. 123).

4. *Ibid.*, 15 (Susemihl, p. 124).

5. *Ibid.*, 20 (p. 127).

6. PLUT., *Agis*, VII, 1 ; XX, 4 ; XXI, 3 ; *Agid. et Cleom. cum Gracch. comp.*, IV, 1.

7. *Agis*, IV ; XIV, 3.

8. *Agis*, VI, 1 ; VII, 1 ; XIX, 3.

9. PAUSAN., VIII, X, 5-8. — SCHŒMANN, *Ad Plut. Agid. Prolegom.*, § IX ; DROYSEN, *op. cit.*, III, 405. — Cf. FREEMAN, *op. cit.*, p. 305, sub nota

« libertatis causa vitæ rationem, quasi vestem, muta-« visse. At majores natu apud quos inveteratæ jam « corruptelæ erant, timuerunt et expaverunt, ad Lycur-« gum velut ad dominum e fuga reducti, Agidemque « præsentem rerum statum deplorantem incusa-« runt (1). » Pleræque tandem mulieres, opes suas servari volentes, Agidi alterum regem Leonidam opposuerunt (2).

Anni 243 a. C. autumno (3), amicus Agidis, nomine Lysander, artibus factionis quæ novas res moliebatur factus ephorus (4), ad senatum quatuor rogationes tulit, primam de quatuor millibus et octingentis periœcis vel peregrinis, liberaliter scilicet educatis, prævalentibus et ætate florentibus, in civitatem áccipiendis; secundam de tabulis novis faciendis; tertiam de agro civico in quatuor millia et quingentas partes dividendo et de reliquo agro laconico illis inter periœcos qui armis accingi possent assignando ; quartam de disciplina Lycurgi restituenda (5). Facile apparet in his rogationibus omnia ad pristinum ordinem militarem reficiendum spectavisse. et ea mente ut respublica ad antiquam laudem se reciperet cogitata et lata esse.

Non diutius in hoc hærebimus, quum cœpta secus ceciderint. Lex quidem, non sine magno labore, a senatu acta est, et ephori anno sequenti creati, novis rebus obtrectantes, a rege depulsi sunt magistratu; sed multum Agidi detraxit quod cupido fallacique viro,

1. *Agis*, VI, 1-2.

2. Leonidas apud satrapas diu vixerat et in Lacedæmonem asiaticam luxuriem traduxerat. V. Plut., *Agis*, III, 6 ; VII, 3-4 ; X, 2 ; XI, 4.

3. Si quidem doctissimo viro Schœmann credis, cujus argumentum nobis videtur suscipiendum (*Prolegom.*, § VIII).

4. *Agis*, VIII. — Cf. Schœmann, *Commentar.*, p. 116-121.

5. *Agis*, VIII.

nomine Agesilao, sese credidit. Iste enim, ephorus factus, quam maximos fructus e novis rebus capere constituit. Quum magna prædia haberet, sed ære alieno perderetur, credulum Agidem induxit ut primum tabulas novas faceret; quo facto, alias ex aliis fingendo moras, impedivit ne bona in medium conferrentur, imo, Agide belli causa absente, tyrannidem occupare tentavit. A spe agri viritim dividendi pauperes repulsi nullam fidem Agidi habuerunt eumque neglexerunt. Quæ quum ita essent, divites ne reipublicæ status commutaretur facile providere potuerunt. Non solum Spartæ, sed etiam Peloponnesii homines cuncti locupletes, novas res subtimentes, ad Leonidam regem, qui ab Agide pulsus erat, concurrerunt. Agesilaum cum rege illo consensisse et, pecunia facta contentum, ei locum dedisse credimus. Leonidas autem cum conducticio exercitu Spartam se recepit, ephoros novos creavit, Agidemque suffocatione affecit (a. 241 a. C). Regis, personæ sacræ, mors stomachum plebi movit; sed mox ira cecidit, resque novæ de integro fuerunt faciendæ (1).

Reipublicæ statum, quem indulgentior Agis mutare non potuerat, convellit filius ipse et successor Leonidæ. Cleomenes III rex, vir florens ætate, ferox et tenax, inflammatus ad gloriam, potentiæ cupidissimus, et, ut ait Polybius, βασιλικός τῇ φύσει (2). Adolescens ille a se ipso Spartam excitari et imperii summam teneri cupiebat, indignabatur quod reges pro nihilo essent, omnia vero possent ephori, et plebs acriter egens perinde ac

1. *Agis*, IX-XXI. — De numero annorum, v. SCHŒMANN, *Proleg.*, § VIII.

2. POLYB., V, XXXIX, 6; cf. IX, XXIII, 3; — PLUT., *Cleom.*, I, 3; — PAUSAN., II, IX, 1. — De Cleomenis ætate, qui quadragesimum annum non implevisse videatur, v. quid SCHŒMANN arbitratus sit: *Proleg.*, § XIV.

optimates deliciis dissoluti, patria virtute deperdita, rempublicam adeo negligerent ut Spartanorum superior gloria exstingueretur (1). Dicitur Sphærum, Zenonis scholæ philosophum, ad adolescentes instituendos Spartam venisse, Cleomenisque maxime conspecti excelsum animum in sublimius erexisse (2). Itaque omnes historici temporis nostri Cleomenem Stoicorum disciplina formatum esse asserunt. Nobis tamen annotandum videtur hunc regem Zenonis doctrinam ad effectum adducere non conatum esse. Stoici enim nihil humani sibi alienum putant et jubent unumquemque nostrum ejus mundi esse partem. Cleomenes vero Spartæ, non mundi civem se præbuit. Animum ad honestum applicaverunt Stoici, virtutem militarem parvi fecerunt, quam magni æstimavit Cleomenes, despexeruntque exercitationes, quas ille coluit (3). Zenonis sectam doctissimus vir Pœhlmann comparare potuit illi recentiori quæ gallice vocatur « socialiste internationaliste ». Attamen non veras opiniones haberet qui Cleomenem disciplina Portici formari non potuisse, Sphærumque aut non vere Stoicum aut civitatis evertendæ Cleomeni non suasorem fuisse affirmaret. Hoc enim Stoicis cum Cynicis Epicureisque minime conveniebat, quod respublica Zenoni videbatur haud negligenda, quum sapientem diceret nunquam esse privatum (4). Illi enim qui mundum vult colere, civitas quoque sua est colenda. Itaque Zeno, Cleanthes necnon Chrysippus de rerum publicarum rectione scripserunt. Sphærus

1. Plut., *Cleom.*, II, 1; III, 1.
2. *Cleom.*, II, 2.
3. V. quid de Stoicorum disciplina senserint Fustel de Coulanges, *Cité antique*, p. 422-423; J. Denis, *Hist. des théories et des idées morales dans l'antiquité*, I, 364 et seq.; Pœhlmann, *op. cit.*, p. 615-617.
4. Cic., *Tuscul.*, IV, 23.

ipse περὶ Λυκούργους καὶ Σωκράτους et περὶ Λακωνικῆς πολιτείας libros composuit (1). Ergo non est mirandum si, teste Plutarcho, Sphærus Cleomeni ad novas res moliendas et antiquam Spartanorum disciplinam restituendam adjutor fuit (2). Quum Spartani pristini, illa fortitudine et constantia ornati quæ cum Zenonica *impatientia* conferri posset, reipublicæ commodis se impenderent et membra corporis magni sese putarent, haud dubium est quin Stoicis maximæ admirationi essent, Sphærusque illorum virtutem in libris suis collaudaret ; nisi forte eam verbis immodicis auxerit et aliquid ad Plutarchum de antiqua Spartanorum civitate in errorem rapiendum contulerit. Profecto in Lycurgi imitationem impulit Cleomenem, quum rempublicam ab uno legumlatore sapiente et omnipotente temperatam plerique philosophi Græci comprobarent. Quapropter Cleomenes, credens se Lycurgi vestigiis ingredi, vim adhibuit, extrema ausus est tyrannidemque occupavit (3). Non solum Sphæri præceptis, sed Agidis exemplo ductus (4), hoc quoque consilium cepit ut in Spartanorum ditionem Peloponnesii redirent (5).

Quum Cleomenes civitatis statum esse convellendum putaret ad ejus laudem pristinam revocandam, prius tamen bellare cœpit quam novas res moliretur. Ei enim opus erat claro apud vulgum rumore esse. Itaque fortunam expertus est impetumque in Achæos fecit, de quibus Spartani querelam habebant (6). Illi prætorem

1. Diog. Laert., VII, 6.
2. *Cleom.*, XI, 2.
3. V. quid Cleomenes, ephoris interfectis, ad se excusandum in concione dixerit : Plut., *Cleom.*, X, 2-5.
4. *Cleom*, I, 2; III, 2.
5. Polyb., II, xlix, 4. — *Cleom.*, VII, 1. — Pausan., II, ix, 1.
6. *Cleom.*, III, 3.

sæpissime creabant Aratum, qui pertinaciter infensus fuit Cleomeni, quum tyrannis et vulgi turbatoribus inimicitias denuntiasset (1) et Achæorum societati summum imperium in Peloponneso servare constituisset (2). Achæis apud Leuctra victis (3), Cleomenes ex quinque ephoris quatuor morte affecit, omnesque aut fere omnes divites, octoginta numero, in exsilium pepulit (4). Deinde concionem advocavit et leges novas tulit, quas nunc diligentius persequi debemus.

I. Cleomenes civitatem largitus est periœcis forma egregiis et bello idoneis (5), necnon peregrinis delectis (6). Nunc externis hominibus eo magis opus erat quod post novas res ab Agide cogitatas multi periœci ab

1. Plut., *Arat.*, X, 1.
2. *Cleom.*, III, 4.
3. *Arat.*, XXXVI-XXXVII; *Cleom.*, VI, 2-3.
4. *Cleom.*, VIII; X, 1.
5. *Cleom.*, XI, 2.
6. *Cleom.*, X, 5 : « ...τῶν ξένων κρίσιν ποιεῖν καὶ δοκιμασίαν, ὅπως οἱ « κράτιστοι γενόμενοι Σπαρτιᾶται σώζωσι τὴν πόλιν τοῖς ὅπλοις. » Haud dubium est quin alienigenæ illi jam Laconiam inhabitassent. Non cito enim suscipere debes quæ auctores quidam de *xenelasia* Spartana dixerunt. Dores quidem majore studio quam Athenienses caverunt ab externis, sed non eos semper et ex ratione repulerunt. Theopompus (*Schol. græc. in Aristoph.*, *Aves* v. 1013) refert peregrinos quadam die a Spartanis annona laborantibus pulsos esse. Ergo tunc peregrini in Laconia non erant perpauci. Præterea Pausanias (III, xi, 11) templa *Jovi hospitali* et *Minervæ hospitali* dedicata in una Græcorum civitate, scilicet Lacedæmone commemorat. V. quoque Fustel de Coulanges, *Nouv. Rech.*, p. 95, et Guiraud, *op. cit.*, p. 152. His peregrinis erant præsidio proxeni Spartani, qui proxenis Atheniensibus fere similes erant. (V. Paul Monceaux, *Proxénies grecques*, p. 146 et seq.). Titulum habemus de jure prædii possidendi cuidam Ambraciensi nomine Damioni a Spartanis dato, ea conditione ut Laconiam inhabitaret. (Le Bas-Waddington-Foucart, *Voy. Archéol.*, 194 *a*). Sed hoc decretum post civitatis statum a Cleomene turbatum verisimiliter factum est, nec alium hujusmodi titulum adhuc cognoscimus.

Ætolis rapti essent (1). Nisi me fallit Plutarchi sententia, posthac fuerunt quatuor millia civium Spartanorum, præter octoginta exsules, quos Cleomenes aliquando restituendos pollicitus est. Doctissimus vir Schœmann arbitratur cives omnes, veteres vel novos, descriptos esse pro domicilio a quoque collocato in quinque tribus, quas in titulis Romanorum imperatorum ævi invenias (2). Hanc sententiam approbamus. Eodem modo olim Athenis Clisthenes, libertis et peregrinis civitate donatis, tribus pro domicilio creavit, in quibus cives veteres cum novis confunderentur.

II. Cleomenes legem tulit de tabulis novis (3). Aut Agidis tabulas novas abrogatas fuisse, aut potius ex eo tempore multos æs alienum contraxisse credendum est.

III. Agrum viritim divisum et partes exsulibus ipsis aliquando revocandis assignatas esse a Cleomene fert Plutarchus (4). Nihil amplius pro certo affirmari potest. At verisimile est hunc regem fere paria fecisse cum Agide. Qui autem civibus veteribus vel adscripticiis agrum a convalle apud Pellenen usque ad Taygetum, Maleam et Sellasiam assignare volebat (5); Maleæ voce notari peninsulam totam orientalem et eam terra civibus assignata non captam esse credimus (6). Ne multa.

1. Plut., *Cleom.*, XVIII, 2. — Polyb., IV, xxxiv, 9.

2. Schœmann, *Prolegom.*, § XIII.

3. *Cleom.*, X, 5.

4. *Cleom.*, XI, 1. Hoc modo, Cleomenes agrum in quatuor millia et octoginta partes divisit, nec in quatuor millia et quingentas, ut Agis rex.

5. *Agis*, VIII.

6. Quæ enim peninsula extra fines Spartanis relictas fuit, quum in secundo sæculo a. C. se in libertatem vindicaverunt pleræque civitates Laconiæ australis, de quibus post dicendum est. V. infra, p. 93-95.

Cleomenes civibus divisit campum Laconiæ medium et uberiorem, Eurota flumine irrigatum, quem fere eumdem fuisse atque veterem agrum civicum arbitramur. Reliqua Laconia ut olim usi sunt periœci, qui a Cleomene omissi videntur. Agis quidem campum circumjacentem in quindecim millia partium periœcis aptis ad arma assignandarum dividere constituerat; sed tempore jam ex illo multi periœci ab Ætolis rapti erant; inter reliquos, aliis forma egregioribus civitatem Cleomenes dedit, alii satis facile vitam egerunt, periœcorum numero multum imminuto.

IV. Cleomenes antiquam disciplinam restituit, ut milites haberet belli prudentes, et eis macedonicam armaturam dedit (1).

V. Non solum, Agidem secutus, agrum dividendum, novos cives creandos et exercitum emendandum arbitratus est, sed reipublicæ ipsius constitutionem et magistratuum descriptionem commutavit, ut imperium suum firmaret. Quum, se absente, certum hominem summæ rerum præesse vellet, Euclidam fratrem suum collegam sibi dedit (2). Ephoros sustulit eorumque sellas movit; unam autem servavit, in qua ad imperium exercendum sese posuit (3). Hoc modo ephororum dominationem fere tyrannicam ad se rapuit. Præterea, teste Pausania, « τὸ « κράτος τῆς γερουσίας καταλύσας, πατρονόμους τῷ λόγῳ κατέστησεν

1. *Cleom.*, XI, 2; XII, 3.

2. *Cleom.*, XI, 2. — Cf. *Agid et Cleom. cum Gracch. comp.*, V, 1. — Frater et filius Agidis ante res a Cleomene novatas perierant (PAUSAN., II, IX, 1. — PLUT, *Cleom.*, V, 3). Attamen familia Eurypontidarum nondum erat exstincta (Cf. POLYB., IV, XXXV, 13.)

3. *Cleom*, X, 1. — P. FOUCART arbitratur hanc sedem a se inventam se (LE BAS-FOUCART, 167 *a*).

« ἀνι αὐτῶν » (1). De hoc dicto perplexo diu disceptatum est. Bœckh et Foucart Cleomenem vim senatus resolvisse, non senatum ipsum, qui, testibus Polybio, Pausania ipso et titulis compluribus, perduraverit, haud immerito arbitrantur (2). Quum imperatorum Romanorum ætate senatores Spartanos non amplius quatuor et viginti numero fuisse et in unum annum, nec jam in perpetuum creatos esse, eisque prærogativam primæ deliberationis (τὸ προβουλεύειν) ademptam esse constet (3), novas eas res a Cleomene institutas esse, qui senatus Agidis consiliis obsistentis meminisset, verisimile est (4). Præterea jura nonnulla senatoribus adempta cesserunt ad sex patronomos, quorum princeps fuit eponymus anni (5). Sex patronomos illos in senatu sedisse et Cleomenis partibus acerrime favisse credimus.

Plurimum autem gratiæ comitate et simplicissimis moribus consecutus est Cleomenes (6). Vere tamen tyrannus fuit, et enim eum fuisse tyrannum historici antiqui putaverunt (7).

Sic Cleomenes effecit ut milites armis suetos haberet. Quo facto, bellum cum Arato gessit, ut ipse Achæorum societati præesset aut eam deleret (8). Aratus, semel et

1. Pausan., II, ix, 1.

2. Bœckh, *Corp. Inscr.*, I, p. 605. — Le Bas-Foucart, sub. n° 194 *a*.

3. Foucart, *loc. cit.*

4. Plutarchus (*Agis*, XI, 1) ostendit vim senatus ἐν τῷ προβουλεύειν constitisse et senatores novis rebus ab Agide cogitatis primum repugnasse.

5. De patronomia accuratissime Bœckh edisseruit, *op. cit.*, p. 605-606. De patronomorum numero, v. quid Foucart demonstraverit, *op. cit.*, sub n° 162 *a*.

6 Phylarch., *Fragm.* 43 (*Fragm. hist. Gr.*, I, 346-347). — Plut., *Cleom.*, xiii.

7. Polyb., II, xlvii, 3; IX, xxiii, 3. — Pausan., II, ix, 1. — Plut., *Arat.*, XXXVIII, 4. — Liv., XXXIV, 26.

8. Fustel de Coulanges (*Cité antique*, p. 412) hæc verba scripsit : « Cléomène voulut étendre le régime démocratique à tout le Pélopon-

sæpius ab illo victus, in auxilium advocavit Antigonum Dosonem, Macedonum regem, qui Peloponnesiacis negotiis interveniendi occasionem avide amplexus est (1). Quum pateret Cleomenem id tantum studere ut pristinam Spartanorum laudem revocaret, pauperes alienigeni ab eo desciverunt, et simul ac Peloponnesum subegit, eam amisit. In his angustiis, ut opes et milites pararet, liberavit omnes ilotas tam pecuniosos ut se redimere possent. Sic ad libertatem perduxit novem millia ilotarum, si credis Macrobio, sex millia, si credis Plutarcho, qui Cleomenem cuique manumisso quinque minas atticas expressisse et hoc modo quingenta talenta, pecuniam amplissimam, collegisse affirmat (2). Cui opinioni ægre assentimur. Multi quidem ilotæ bene vivebant; sed Plutarchus ipse alio loco asserit *inopia coactum* Cleomenem in aciem processisse apud Sellasiam (3). Nec de ilotarum manumissorum

nèse ». Longe mihi alia mens est. Cleomenes enim non sic se gessit quasi novas res circumferre et plebi indulgere vellet. Dicet aliquis pauperes omnium Peloponnesiarum civitatum in Cleomene spem posuisse (cf. PLUT., *Cleom.*, XVII, 3; *Arat.*, XXXIX, 3); at spem illam Cleomenes frustratus est, quum de Peloponneso in suam potestatem redigenda tantum laboraret. Quando enim Achæis apud Hecatombæum victis pacem obtulit, ab eis nihil aliud quam τὴν ἡγεμονίαν petivit (*Cleom.*, xv, 2.) Quo tempore postremum ante Sellasianam pugnam cum Arato de pace actum est, Spartanorum rex solum postulavit ut crearetur τῶν Ἀχαιῶν ἡγεμὼν (PLUT., *Arat.*, XLI, 2). Nullius civitatis captæ statum commutavit ut plebi faveret. Civibus Argivis tabulas novas dare noluit (*Cleom.*, XX, 3). Quin etiam, Mantinensium res Aratus turbavit, Cleomenes vero restituit (*Arat.*, XXXVI, 1; *Cleom.*, XIV, 1).

1. POLYB., II, XLVII–L. — PLUT., *Cleom.*, XVI.

2. *Cleom.*, XXIII, 1. — MACROB., *Saturnal.*, I, XI, 34. — De libertis Spartanis, v. FUSTEL DE COULANGES, *Nouv. Rech.*, p. 66. De ilotis pro militibus adhibitis, v. *Nouv. Rech.*, p. 68, et SCHŒMANN, *Antiq. grecques*, I, 232-233.

3. *Cleom.*, XXVII, 2. — Si vel trecenta solummodo talenta receperat Cleomenes, ait POLYBIUS (II, LXIII, 4), facile illi fuit bellum cum Antigono sustinere atque trahere.

nec de militum Lacedæmoniorum numero aliquid certi dici potest (1).

Cleomenem, apud Sellasiam victum et proturbatum, ad præpotentem Ægyptiorum regem, Ptolemæum Evergetam, qui olim ei præsidio fuerat, perfugisse satis constat. Euclidas vero in prælio interfectus est (anno 222 a. C. ?) (2).

Nunc Lacedæmoniorum reipublicæ suprema tempora nobis consideranda sunt, quæ sæpissime omissa et fere semper fastidio habita sunt. Plerique enim historici recentiores cum Bossuet inconsiderate dixerunt « Lacedæmonem, Cleomene edito, ultimo conatu bellum « egisse » (3).

1. V. quid conjectura arbitratus fuerit Droysen, *op. cit.*, III, 570, sub nota.

2. Polyb., II, lxv-lxix. — Quo anno Cleomenes ad Sellasiam victus fuerit non facile dici potest. Schœmannn (*Prolegom.*, § X), in prætorum Achæorum lectione et in Nemeorum tempore (argumento quidem incertissimo) nisus, demonstrare voluit Cleomenem fugatum esse anni 221 a. C. æstate. Ei accessit Max Klatt (*Quellen und Chronol. des Kleomen. Krieges*, p. 63 et seq.). Benedicto Niese (*Histor. Zeitschrift*, ann. 1881, p. 489 et seq.) hoc non placet, multas ob causas, et præcipue quod dicat Polybius (IV, xxxv, 8-9) duos reges a Spartanis creatos esse circa anni 219 initium, *fere tertio anno* postquam Cleomenes fugatus esset. Ex omnium sententia veterum, nemo fuit in exquirendis temporibus diligentior Polybio. Annus igitur 222 fortasse repetendus est. Res vero non est maximi momenti.

3. *Disc. sur l'hist. univers.*, III, vi.

CAPUT I

EPITOME

Cleomene fugato et Lacedæmone occupata, Antigonus novas res actas partim tollit, partim servat. Multi Lacedæmonii, præcipue adolescentes, Cleomenis consilia non relinquunt.

Parta apud Sellasiam victoria, Antigonus Macedonum rex Spartam urbem sine ulla mole occupavit et ab omni maleficio temperavit. Quum ad Peloponnesios a Cleomenis servitio abstrahendos se venisse contenderet, et libertatis se vindicem ferret, famam moderationis affectavit. Eum Spartanis leges et civitatis patriam formam reddidisse Polybius et Plutarchus asserunt (1); num recte, nobis examinandum est.

Sane quidem Antigonus restituit ephoros (2), qui optimates olim juverant et novis rebus ab Agide et Cleomene cogitatis acriter obstiterant. Decem annos ephori civita-

1. « Ἀντίγονος δ' ἐγκρατὴς γενόμενος ἐξ ἐφόδου τῆς Σπάρτης, τά τε λοιπὰ « μεγαλοψύχως καὶ φιλανθρώπως ἐχρήσατο τοῖς Λακεδαιμονίοις, τό τε « πολίτευμα τὸ πάτριον αὐτοῖς καταστήσας. » (Polyb., II, lxx, 1). « ... νόμους « καὶ πολιτείαν ἀποδούς... » (Plut., *Cleom.*, XXX, 1). V. quoque Pausan., II, ix, 2. Ipse tamen Polybius alio loco (IV, lxxxi, 14) scripsit res Lacedæmoniorum omnino mutatas esse « ἀφ' οὗ Κλεομένης ὁλοσχερῶς « κατέλυσε τὸ πάτριον πολίτευμα. » His verbis fatetur novas res non ab omni parte sublatas esse.

2. Cf. Polyb., IV, xxii, 5; xxxv, 5, etc.

tem gubernaturi erant. Cleomeni vero et ejus fratri nemo successit. Quamvis ex duobus regiis stirpibus neutra exstincta esset, neminem in regis fugati locum Antigonus sufficere voluit (1), et de quibus causis hoc modo se gesserit facile æstimari potest. Si Cleomeni successorem dedisset dignum, hic fortasse bella et novas res remolitus esset; si indignum, vehementius Lacedæmoniorum animos jam commotos incendisset (2). — Patronomi autem a Cleomene creati perduraverunt (3). — Ergo pristinam civitatis formam non plane restituit Antigonus. Num saltem optimatibus Doriensibus faverit et res aliquas præcipue dederit quærendum est.

Historici antiqui non diligenter exposuerunt qui fuerit, Antigoni ope, civitatis status, quæ vincula fuerint communis vitæ, qua conditione usus sit quisque ordinum Lacedæmoniorum. Antigonus, ut nobis videtur, incolarum descriptionem ad pristinum statum restaurare non potuit. Haud enim dubium est quin liberti reliqui ex bello in libertate permanserint (4). Ex alia parte Cleomenes in civitatem receperat multos periœcos vel peregrinos. Multi autem cives in bello, præcipue ad Sellasiam, perierunt (5); pristini igitur cives, qui septingenti erant Agidis tempore, pauciores facti sunt, quum (exceptis

1. Polyb., IV, xxii, 4; xxxiv, 5.

2. Cf. Pausan., II, ix, 3 : « Λακεδαιμόνιοι δὲ, ἄσμενοι Κλεομένους « ἀπαλλαγέντες, βασιλεύεσθαι μὲν οὐκέτι ἠξίωσαν. » Sic sentiebant solummodo optimates.

3. V. supra p. 21.

4. Forte vixerunt inter periœcos vel neodamodas. De neodamodis v. quid senserit Schœmann, *Antiq. Grecques*, I, 233-234.

5. Plut., *Cleom.*, xxviii, 3 : « Ἀποθανεῖν δὲ καὶ τῶν ξένων πολλοὺς « λέγουσι καὶ Λακεδαιμονίους ἅπαντας πλὴν διακοσίων ἑξακισχιλίους ὄντας. » Cum Droysen (II, 581), numerum a Plutarcho auctum esse putamus. Quæ tamen Polybius enarrat pugnam fuisse cruentam et multos Lacedæmonios esse occisos demonstrant. (Polyb., II, lxvii-lxix.)

octoginta optimatibus in exsilium pulsis) Lacedæmone mansissent et apud Sellasiam pugnavissent, necnon magna pars interfecti essent. Quæ quum ita essent, non recte, meo judicio, adscripticios cives ab Antigono capite deminutos et in periœcorum sortem reductos esse Schœmann arbitratus est (1). Multis enim Spartanis in bello occisis, magis quam unquam alias necesse erat novos homines in civitate habere. Peregrinos in tempore illo et in posterum non solum non pulsos sed magnis honoribus a Lacedæmoniis acceptos esse decretum a Vischer et Foucart inventum demonstrare nobis videtur, quo, verisimiliter circa annum 220 a. C., Lacedæmonii cuidam Damioni Ambraciensi dederunt proxeniam, laudem, jus communibus mensis considendi, immunitatem, denique, quod ad eum diem fortasse nunquam usu in hac republica venisset, γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν, εἰ οἰκοῖεν ἐν Λακεδαίμονι (2). Ita Damionem Lacedæmonem urbem domicilio eligere cupiunt. Cur eum civitate non donaverint fortasse dici potest. Non aliter quam Athenienses, Spartani semper proxenis usi sunt ut per eos in aliis civitatibus quid ageretur cognoscerent et occultas artes componere possent (3). Quæ quum ita essent, Damionem manere civem Ambraciensem et in patriam suam sæpe reverti, idcirco proxenum esse nec civem Spartanum quanquam Lacedæmonem domicilio habentem, voluerunt.

Ergo, ut quidem ego sentio, illi qui civitatem consecuti erant non eam amiserunt, satisque habuit Antigonus octoginta exsules restituere. Quamobrem agri

1. Schœmann, *Prolegom.*, § XIII.

2. Vischer, *Inscript. Spart. octo*, p. 6 (cum apographo). Le Bas-Foucart, 194 *a*.

3. Cf. Monceaux, *Proxénies grecques*, p. 152-153.

divisio abrogari ex omni parte non potuit. Sed disputandum est nonne, Antigoni beneficio, principes a Cleomene vel pulsi vel omissi, præter sortes ab eo vel reservatas vel datas (1), prædia a possessoribus interfectis relicta acceperint, ut damnum bonorum olim in medium collatorum resarciretur; nonne eis solis patuerit via adipiscendi summos magistratus, ut ordinem senatorium, patronomiam vel etiam ephoriam. Procul dubio, familiæ ex Doribus oriundæ cum aliis non mixtæ sunt aut saltem non misceri contenderunt; etiam enim Romanorum imperatorum tempore dignitatem suam retinebant et suum genus jactabant (2). Antigonum principibus prærogativas et opes dedisse, quibus inter ceteros insignes fuerint, nullus quidem auctor dixit, sed arbitrari nobis necesse videtur, ut intelligere possis rerum perturbationes et commutationes de quibus nunc dicendum est.

Ita Macedonum rex pristinam rempublicam restituit, non vero ab omni parte. Quid mirum? Haud perplexe pristinam Lacedæmoniorum civitatem reficere non curabat, ejus vero in mente tantummodo erat Spartanos facere inutiles atque innocuos. Chleneas, Ætolorum legatus, quum paucos post annos Spartanos ad fœdus cum Ætolis percutiendum hortaretur, in oratione sua dixit Antigonum non bellum adversus Cleomenem eo consilio suscepisse ut in libertatem Lacedæmonios vin-

1. Teste Plutarcho (*Cleom.*, XI, 1), Cleomenes exsulibus ipsis, quos posterius revocare constituerat, sortes reservaverat.

2. Nonnullos enim titulos imperatorum ævi habes, in quibus jactantur gentes quædam Spartanorum (Bœckh, I, sub n[is] 1361, 1433; — Le Bas-Foucart, sub n[is] 162 *d*, 164, etc...; — *Bullet. de corresp. hellén.*, ann. 1879, p. 196). — Plutarchus (*Regum et Imperator. apophtegm. apopht. Cæsaris Aug.*, XIV) refert sermonem ab Augusto habitum cum Spartano quodam de Brasidæ posteris superstite.

dicaret, sed, timore et invidia stimulatum, venisse ut eorum potentiam attereret (1). Chleneas recte dicebat. Quamobrem Antigonus Cleomeni, qui finitimis semper bellum ostentaverat et excidium minatus erat, nullum successorem dedit, optimatibus vero, quorum ignaviæ causa civitas in deterius lapsa erat, res publicas regendas reddidit. Nihil obscurum Macedonum rex volebat quum, Sparta vix occupata, curatorem urbis Thebanum nomine Brachyllam reliquisset (2), et ex eo tempore Lacedæmonii, societati Græcarum civitatum, cui Antigonus præerat, adjuncti, milites ex fœderis legibus suppeditare deberent quoties usus exigeret (3). Polybius quidem proponit Lacedæmoniorum rempublicam ab Antigono liberatam esse (4); at auctor ille Achæorum est et Spartanorum plebi repugnat. Profecto quoque Antigonus a præcone pronuntiatus est Lacedæmoniorum conservator, et ejus beneficia columnæ inscripta sunt (5); at laudes illas a solis optimatibus Spartanorum ei tributas esse credendum est.

Plerosque enim Spartanos, Antigono vix profecto, præsenti statui non acquievisse et ab eis seditiones diuturnas atque acerbas non sine sanguine motas esse ipse refert Polybius : « Οἱ γὰρ Λακεδαιμόνιοι, συνήθεις ὄντες βασιλεύεσθαι, « καὶ πάντα τοῖς προεστῶσι πειθαρχεῖν, τότε προσφάτως μὲν ἠλευ- « θερωμένοι δι' Ἀντιγόνου, βασιλέως δὲ οὐχ ὑπάρχοντος παρ' αὐτοῖς,

1. Polyb., IX, xxix, 8-11.

2. Polyb., XX, v, 12. Nihil amplius de Brachylla illo scimus. Cf. Freeman, *op. cit.*, p. 387, sub n. 2 : « It is doubtful whether Antigonos « did, or did not, leave Brachyllas the Theban, for a time at least, with « some authority at Sparta. » Nobismet Polybii verba nec obscura nec spernenda videntur. Freeman addidit : « If he did, it must have been only « with some temporary commission. » In eamdem sententiam imus.

3. Polyb., IV, ix, 6.

4. Polyb., V, ix, 9; cf. IV, xvi, 5, xxii, 4.

5. Polyb., IX, xxxvi, 5, 9.

« ἐστασίαζον πρὸς σφᾶς, πάντες ὑπολαμβάνοντες ἴσον αὐτοῖς μετεῖναι « τῆς πολιτείας » (1). Ergo, si Polybio credis, citius Spartani libertatem erant consecuti quam a tumultu abstinere possent. Quam sententiam non in totum approbamus. Profecto quidem Cleomenes, qui superbe imperaverat, non jam summæ rerum præerat. At, eo fugato, respublica rectoribus non orba fuit. Ephoris enim restitutis pristinam potestatem non defuisse maxime patet, quia deinde seditionum concitatores bis coacti sunt ephoros interficere, ut succederent novæ res quibus hi repugnavissent. Ergo summæ rerum præerant optimates; at quidem non sine labore, nec in longum. Partes enim erant, rerum commutandarum cupidæ, quæ non solum jure pares omnes cives facere, sed reges restituere, Macedonum jugo se liberare et reipublicæ dignitatem antiquam reddere, ne multa ad Cleomenis consilia reverti vellent; ceterum, quamdiu rex vixit, hunc ducem habuerunt et in patriam reversurum esse speraverunt (2). Cleomenes ipse omnibus viribus contendit ut in Græciam rediret, et haud multum abfuit quin ab Ægyptorum rege exercitum impetraret; tunc autem accidit ut Ptolemæus Evergeta interiret eique succederet Ptolemæus Philopator, vir in voluptatem

1. Polyb., IV, xxii, 3-4. Quid Polybius his verbis significaverit haud clarum videtur. Utrum omnes *Lacedæmonii*, id est Laconiæ incolæ, civitate donari et jure pares esse, an *cives Spartani* in consortio reipublicæ æque esse et in cunctis honoribus versari voluerint dubitari potest. « Οἱ Λακεδαιμόνιοι » est perplexum verbum, præcipue apud Polybium ; ceterum πολιτεία in duas sententias accipi potest : sub hac voce enim aut *civitas* (jus civium) aut *respublica* intelligenda est. At periœci et ilotæ civitatem tunc cupivisse non videntur; posterius enim, quando spes ad effectum adducere potuerunt, societatem sui juris formaverunt. Ergo, meo judicio, Polybius optimatibus ab Antigono restitutis ceteros cives æmulatos fuisse significavit.

2. Polyb., IV, xxxv, 6.

effusus. Cujus familiaris Sosibius Cleomenem perdidit (1). Illo defuncto, partes tamen quæ ei favebant non continuo eversæ sunt, nec regis consilia fuerunt relicta.

Quibus ex viris hæc factio constaret auctores non dixerunt. Forsitan credas eam solummodo ex adscripticiis vel inferioribus civibus constitisse, qui optimatibus Doriensibus inviderent; sed Polybius, ut significet eos qui omnia mutari student Ætolisque favent, nomine sæpe utitur quod nobis videtur annotandum : *adolescentes* (οἱ νέοι, οἱ νεανίσκοι, οἱ ἐν ταῖς ἡλικίαις) sunt qui ephoros Ætolis repugnantes interficiunt; paulo post, *adolescentium* metuentes seditionem, ephori novi se Ætolorum legato concionem daturos pollicentur, necnon de regibus restituendis posterius deliberaturos; denique, quum hanc deliberationem traherent, ab *adolescentibus* occisi fuerunt (2). Ita adolescentes præcipue novis rebus studebant. Agis quoque et Cleomenes hanc partem populi, magnanimis consiliis facile incensam, sibi conciliaverant, et inter Dores natu nobiles multos adolescentes tenuerant; illis autem regibus obstiterant seniores, longis deliciis corrupti, et pacis tantum cupidi. Non aliter, Cleomene mortuo, seniores ephoris faverunt et ab adolescentibus nonnulli trucidati sunt (3). Haud dubium est quin eo tempore ex civibus illustri loco nonnullis non minus quam adscripticiis constaret secta illa quæ nova moliretur. Hæc erat factio adolescentium.

1. Cf. Polyb., V, xxxv-xxxix. — Plut., *Cleom.*, XXXII-XXXVII. — Pausan., II, ix. 3.

2. Polyb., IV, xxii, 8, 11; xxxiv, 6; xxxv, 1 et seq.

3. Polyb., IV, xxxiv, 9; xxxv, 5.

CAPUT II

EPITOME

Spartani Macedonum jugo se exuunt et cum Ætolis societatem ineunt. Lycurgus et Machanidas, haud regio genere nati, imperium exercent.

Qui novas res cogitabant mox habuerunt ubi consilia sua ostentarent. Post victoriam ad Sellasiam partam Antigonus in societatem suam Græcos omnes congregaverat, exceptis Atheniensibus qui Ægyptorum fortunam sequebantur sed adversus hanc societatem non tendebant, atque Ætolis, qui contra, latrociniis sueti, finitimis semper arma intentabant et direptionem minabantur (1). Quum, circa anni 220 a. C. initium (2), Antigono mortuo successit Philippus, annos natus septemdecim, Ætoli, hoc adolescente contempto, simul Messeniis, Epirotis, Achæis, Acarnanibus ac Macedonibus bellum intulerunt (3). Belli socialis hæ causæ fuerunt.

1. Polyb., IV, iii, 1. De rerum statu post Sellasianam pugnam, cf. Hertzberg, *Histoire de la Grèce sous la domination des Romains, trad. de l'allemand sous la direct. de* A. Bouché-Leclercq, I, 8 et seq.; F. Arci, *Il Peloponneso al tempo della guerra sociale* (*Studi di storia antica*, fascic. II, Roma, 1893), p. 143 et seq.

2. De imperii a Philippo accepti mense inter eruditos disceptatur; v. *Bulletin de corresp. hellén.*, ann. 1882, p. 173. In februarium incumbimus potius quam in septembrem.

3. Polyb., IV, iii et seq.

Ætoli, quum esset sibi propositum de agris urbibusque prædari Græcorum, præcipue Messeniorum, qui Cleomenici belli tempore manserant a vastatione immunes (1), cum Lacedæmoniis amicitiam facere constituerunt, ut Messeniæ aditus paterent (2). Messeniis enim ab Epaminonda liberatis semper Lacedæmonii offensi fuerant et de finibus assidue inter se litigabant. Dentheliates ager præcipue in incerto erat. Nuper Antigonus, causa judicata, Messeniis agrum concesserat (3). Tanto eorum fines ineundi cupidiores erant Spartani, quanto Messenii ad militaria opera tardiores. Ut ait Polybius : « Quoties Lacedæmoniis otium fuit convertendi animos « ad perniciem Messeniorum, aut servire Spartanis, « bajulorum munia obeuntes, cogebantur, aut, si jugum « servitutis pati recusarent, extorres in exsilium, patria « relicta, cum liberis atque uxoribus abire » (4). Ergo Ætolorum consilia plerisque Spartanis displicere non poterant.

A Lacedæmoniis tamen, ex fœderis legibus, auxilia arcessivit Aratus, Achæorum prætor, ut Ætoli propellerentur. Spartanis, aut saltem Spartanorum principibus, tantam fidem habebat, ut, a Messeniis pignora accipiens, eorum filios obsidum loco Lacedæmone collocasset. Lacedæmonii autem milites petitos suppeditarunt, qui, ad fines Megalopolitanorum castris positis, mox ab Arato dimissi sunt, quum Messenia Ætoli cessissent. Paulo post, Achæis ad Caphyas ab Ætolis

1. Polyb., IV, v, 5.
2. Polyb., IV, v, 4.
3. Tacit., *Annales*, IV, 43. — De agro Dentheliate, qui situs erat ad occidentales montis Taygeti radices, v. Le Bas-Foucart, sub nº 296. — Hoc jurgium edisseruit Victor Bérard, *De arbitrio inter liberas Græcorum civitates*, p. 6-8.
4. Polyb., IV, xxxii, 6-8.

victis, Lacedæmonii, a prætore rogati, duo millia et quingentos pedites atque ducentos et quinquaginta equites a se mittendos confirmaverunt (1).

Verumtamen plerique Spartani societatem quam inviti iniverant deserere cogitabant. Nuper, ad fines Megalopolitanorum castra metati, magis, teste Polybio, spectantes eventum observare, quam sociorum officio fungi curabant (2). Itaque eis amicitiam suam offerre Ætoli concionati decreverunt (3). Quid tunc Lacedæmone actum sit Polybius haud abunde retulit. Non longum fuisse certamen ab adolescentibus cum principibus institutum verisimile est. Ephori, quum se haud satis fultos viderent et Philippum minorem ætate esse arbitrarentur quam ut interveniret, non restiterunt. Ex his duo, alter nomine Adimantus, alter nomine nobis incognito, ab omni contentione abfuerunt, quanquam novæ res eis incommodæ videbantur; Adimantus maxime ab improbatione vix abstinuit. Reliqui ephori, inhonesti et inertes viri, Ætolorum partes secuti sunt (4). Fœdus igitur ictum fuit, at, fortasse ephororum ope, non vulgatum est (5). Nova Lacedæmoniorum consilia tam occulta habebantur ut ab eis Cynæthenses, in Ætolos bellum gerentes, auxilium peterent (6), et mox Aratus ipse milites ex formula suppeditandos posceret. Lacedæmonii autem, quasi fœdus servarent, equites peditesque miserunt, at quidem paucos (7). Tunc annus 220 a. C. in exitu erat (8).

1. Polyb., IV, ix, 5-10; x-xiii; xv, 6.
2. Polyb., IV, ix, 6.
3. Polyb., IV, xv, 8.
4. Polyb., IV, xxii, 5, 7.
5. Polyb., IV, xvi, 5.
6. Polyb., IV, xxi, 5-8.
7. Polyb., IV, xix, 1, 10.
8. Polyb., IV, xiv, 9; xxvi, 1.

Subito perfertur Philippum ad Achæos juvandos cum exercitu Corinthum pervenisse. Plurimum enim auctoritatis apud eum habebat Aratus, a quo formatus erat. Adolescens ille, audax et felix, atque, ut ait Polybius, ex ea domo ortus quæ semper summi terrarum imperii spe et cupiditate ducebatur, tenebat, quam optabat, occasionem amplam initii armorum faciendi. Ætoli vero, Peloponneso direpta, in patriam rediverant (1). Ita Lacedæmone partes Ætolicæ e Macedonum regis arbitrio pendebant, si ei Adimantus societatem cum Ætolis furtive initam patefaceret. Animum tamen non submiserunt et conspiraverunt ad arma Macedonibus inferenda. Tres ephori qui pro Ætolorum partibus stabant jusserunt omnes juvenes ad Minervæ Chalciœcæ fanum cum armis se conferre. Ad eos congregatos ivit Adimantus. Nunc ad optimates et Macedones defendendos obstinatus, Lacedæmonios hortari cœpit ut non solum Macedonibus bellum inferre non cogitarent, sed etiam, recentis beneficii memores, eos honorifice acciperent. Vix autem sermonem hujusmodi exordiebatur, quum adolescentes, impetu in ephorum facto, eum interficiunt, et una cum ipso nonnullos ex optimatibus (2). Ceteri ephori, hæc quo essent eruptura timentes, bis ad Philippum legatos miserunt, ut animo acciperet Adimantum et alios interfectos cives tumultus vere auc-

1. Polyb., IV, xxii, 1-2; V., cii, 1.

2. Polyb., IV, xxii, 6-11. Si Polybio credis, seditio illa ante structa erat a tribus ephoris qui Ætolis faverant et nunc, metuentes ne Philippo omnia quæ acta essent Adimantus aperiret, hunc perdere volebant. Ita res se habuisse haud verisimile est. Tres illi ephori occulte et tuto Adimantum ad mortem dare poterant; at contra, eo aperte palamque in concione interfecto, quum Philippi causam ageret, periculo obviam ibant et velut nitebantur ut sua consilia Macedonibus indicarent et in se summam severitatem fortasse attraherent. Ergo seditionem illam inconsultam nec ex ante præparato factam fuisse credimus.

tores fuisse necnon Lacedæmonios in sua amicitia permanere (1). Philippus autem, vel potius Aratus et alii familiares regis qui summæ rerum præerant, vera comperErant ex nonnullis principibus Spartanis qui fuga ad Macedonum regem se receperant. Itaque, inter eos qui circa Philippum erant, alii ei auctores erant ut in Lacedæmonios sæviret, alii ut saltem in vulgi turbatores animadverteret et rempublicam suis amicis traderet (2). Aratus vero, prudens et temperatus vir, tam cautus ut sæpe timidus videretur (3), Philippum in sententiam modestam impulit, Spartanorum seditiones non ad eum pertinere, quum eos Antigonus liberavisset, præsertim quum adversus communem societatem nihil deliquissent et se officia sociorum præstituros polliciti essent. Omias et Petræus, ex cohorte regis familiarium, Lacedæmonem missi sunt, qui fœdus firmarent. Deinde Philippus Corinthum rediit, ubi sociorum legati bellum Ætolis esse inferendum consenserunt (4). Hoc fuit *belli socialis* initium.

Vix Macedonibus profectis, Spartani qui novas res moliebantur ad consilia sua reversi sunt. Ab his molles ephori eo perducti sunt ut legatos a sociis missos ad auxilium contra Ætolos petendum dimitterent sine responso. Quin etiam, paulo post Ætolorum arcessita est legatio, et promtissime eorum nomine Machatas Spartam profectus est.

Interim ephori alii erant creati, quorum ope factio adolescentium regem lege restituendum et amicitiam cum Ætolis sine turbis faciendam sperabat. Ephori

1. Polyb., IV, xxiii, 1-6.
2. Polyb., IV, xxiii, 8-9; xxii, 12.
3. Polyb., IV, viii, 2. — Plut., *Arat.*, X.
4. Polyb., IV, xxiv, 25.

vero optimatibus indulgebant. De Heraclidis in regnum restituendis statim deliberare recusaverunt; at quidem, quum adolescentium seditionem metuerent, Machatæ concionem inviti dederunt. Concilio populi statim advocato et Machata audito, diu de proposita re certatum est. Seniorum nonnulli, revocatis populo in memoriam Ætolorum maleficiis, qui haud pridem per Laconiam populabundi essent vagati et periœcos multos abduxissent, ad extremum auditoribus persuaserunt ut Macedonum amicitiam colerent. Sic Machatas infecta re ad Ætolos rediit.

Tum qui rebus novis studebant, vi rursus agere et ephoros velut nuper Adimantum perdere constituerunt. Rursus quoque adolescentes propositum perpetrandum susceperunt. Qua die quinque ephori cærimoniarum officia ad fanum Minervæ exsequebantur, ex adolescentibus qui pompam ducebant nonnulli subito magistratus invaserunt et ad aram interfecerunt. E senioribus ipsis quidam trucidati sunt. Postea seditionis auctores eis qui Ætolis fuerant contrarii exsilium irrogarunt et, optimatibus in terrorem sic conjectis, ephoros ex suo numero elegerunt, qui ab Ætolis fœdus sociale petiverunt. Præterea factioni illi, ut consilia sua ad effectum totum adduceret, restituendus erat Heraclidarum principatus. Si Polybii narratio me non fallit, adolescentes Cleomenem mox reversurum exspectabant et pro eo agebant; procul dubio ipsum toto animo intentum esse ut in patriam rediret cognoverant. Interim de ejus morte auditum est. Tunc ephori alterum regem crearunt ex Agiadis Agesipolin, ætate puerum. Alterum regem, Eurypontidis præteritis, Lycurgum quemdam elegerunt, cujus majores quidem solio nunquam usi erant; hic vero, ut ait Polybius, talentum cuique epho-

rorum largitus, Herculis propago et Spartanorum rex factus est. Præterea sine dubio factionis quæ Ætolis favebat fidem sibi præstruxerat. Ita regium fastigium est restitutum, at sub nova specie (1).

Mox Lacedæmonem Machatas adveniens ephoros et Lycurgum hortatus est ut sine mora Achæis arma inferrent, et hoc modo amicitiam cum Ætolis junctam, ambagibus missis, omnibus patefacerent. Huic sententiæ obsecuti, Spartani fidem Ætolis dederunt et ab eis acceperunt (2). Jam supra locuti sumus de inscriptione qua Damion Ambraciensis a Lacedæmoniis proxeniam et maximos honores consecutus esse dicitur. Si Foucartio credis, Damionem legatum ab Ambraciensibus (qui tum temporis Ætolorum essent socii) ut Machatam apud Spartanos juvaret, ad eos persuadendos maxime valuisse, et propterea, auctoribus his qui Ætolis faverent, summis donatum fuisse honoribus verisimile est (3). Idem nobis videtur.

Quæ quum ita essent, Lycurgus rex, adjuvantibus adolescentibus, Cleomenem æmulari constituit. Argivos inopinantes incursavit, oppida nonnulla cepit, denique Achæis bellum præconis voce denuntiavit (4). Tunc Megalopolitanorum fines invasit, jamdiu Spartanis contrariorum, Achæis autem atque Macedonibus benevolorum, quos a Cleomene pulsos in patriam restituerat Antigonus (5). Athenæum oppidum, a Cleomene ipso

1. Polyb., IV, xxxiv-xxxv.
2. Polyb., IV, xxxvi, 1-3 ; IX, xxxi, 4.
3. Le Bas-Foucart, sub n° 194 *a*.
4. Polyb., IV, xxxvi, 4-6; xxxvii, 6.
5. Polyb., II, lv, 8 ; lxi. — Liv., XXXII, 22. — Plut., *Cleom.*, IV, 1-2. Cf. Fustel de Coulanges, *Polybe ou la Grèce conquise par les Romains*, in *Quest. histor.*, p. 138-139.

olim communitum (1), summa vi oppugnavit, ab Arato cunctatore non sublevatum cepit et ibi præsidium posuit. Deinde ducentos milites misit ad Philidam Ætolum qui Lepreum in Triphylia occupabat. At Philidas, quum Lepreatas sibi contrarios esse et Macedones appropinquare videret, ab urbe mox discessit. Philippus, Lepreum ingressus, in arcem præsidium induxit et Megalopolin adivit; quo adventante, Lacedæmonii Athenæum destruxerunt atque deseruerunt (2). Hæc agebantur media hieme anni a. C. 219/8 (3).

Anno a. C. 218, cum Philippo ipso rem habuerunt Lacedæmonii. Lycurgus primum Messenios, qui nunc aperte pro Macedonibus stabant, lacessivit, at nihil insigne fecit. Postea Tegeatarum urbem, non vero arcem occupavit. Inanibus his inceptis hoc solum obtinuit ut contra Spartanos Philippum accenderet. Qui enim, audacter et cito ut solebat, e media Ætolia per Corinthum, Argos et Tegeam iter faciens, Peloponnesum transivit et Laconiam septima die invasit. Ante Lacedæmoniorum attonitorum oculos ad Amyclas prima castra posuit; deinde campum circumjacentem et utramque peninsulam populatus est. Messenii autem, quos Tegeæ sibi præsto esse jusserat, lentius egerant quam ut Macedonibus occurrere possent; nihilominus Philippum assequi cupientes, per Argivorum fines Laconiam petere decreverunt. Quo audito, Lycurgus expergiscens eos ad Glympes negligenter castra habentes aggressus est inopinantes et in fugam conjecit. Hujus victoriæ successu alacer, regressum impedire constituit Macedonum, qui, quarta die Laconiæ occupatæ, Amyclas reversi, per

1. Polyb., II, xlvi, 5.
2. Polyb., IV, xxxvii, 6; lx, 2-3; lxxx; lxxxi, 11.
3. Cf. Polyb., IV, lxvi, 11; lxxx, 16; lxxxii, 1.

ripam Eurotæ dextram proficisci parabant. Obstructo a Spartanis flumine, dextra obtinuerunt aquæ, eo modo ut Philippo per læva iter faciendum esset, id est via angusta inter amnem et montis Menelaii radices sita. Lycurgus cum duobus millibus armatorum colles occupavit et Lacedæmonios in urbe relictos jussit signo dato exire, ut Macedones circumclauderentur. Sed res male successit. Philippus collibus Lycurgum dejecit, milites urbe egressos propulit, et, magna hostium multitudine occisa, ex Laconicis finibus postera die sine labore discessit et Corinthum petivit (1).

Ineunte æstate anni a. C. 217, Lycurgus Messeniam rursus invadere voluit et cum Pyrrhia, Eleorum prætore qui cum Ætolis stabant, consilia communicavit. Pyrrhias vero mediocriores copias adduxit nec quidquam actum est (2). Paulo post habuit finem certamen tantum et tam inane. Concilio ad Naupactum convocato, Macedones et Achæi cum Ætolis, ergo cum eorum sociis pacem composuerunt. Pactionem Polybius omnibus ex partibus persequi nihil curavit (3). Lacedæmoniorum fines non prolatas esse, at eos saltem a Macedonum societate abstractos in posterum mansisse manifestum est (4).

Ergo, quod ad bellum attinet, Lycurgus spes et consilia bene exsecutus est partium quarum ope regnum exercebat. Timide contra egit in republica gerenda. Optimatum privilegiis eum abstinuisse res novæ a Chilone cogitatæ satis demonstrant. Chilo ille Eurypontidarum genere ortus erat et Lycurgi imperium ægre fere-

1. Polyb., V, v, 1; xvii, 1-2; xviii-xxiv.
2. Polyb., V, xci, 3; xcii, 2-6.
3. Polyb., V, cii-cv.
4. Cf. Chleneæ orationem, ap. Polyb., IX, xxxi.

bat; nam, ut ait Polybius : « Ὑπολαμβάνων αὑτῷ καθήκειν κατὰ « γένος τὴν βασιλείαν, καὶ βαρέως φέρων τὴν γεγενημένην ὑπεροψίαν « περὶ αὑτὸν ἐκ τῶν Ἐφόρων ἐν τῇ κατὰ τὸν Λυκοῦργον κρίσει περὶ « τῆς βασιλείας, κινεῖν ἐπεβάλετο τὰ καθεστῶτα. » Anno 219 a. C. exeunte, quo tempore Lycurgus modo Athenæum occupaverat et milites Lepream miserat, Chilo imperium tentavit obtinere ut olim Cleomenes, vi agendo et spem agri viritim dividendi plebi ostendendo. Ducentos viros nactus qui secum conspirarent, Lycurgum et ephoros qui eum regem creaverant e medio tollere constituit. Ut Cleomenis tempore, ephori cœnantes sunt trucidati. Lycurgus vero evasit et Pellenen petivit. Rebus suis sic afflictis, Chilo tamen in forum irrupit, ex optimatibus inimicissimos comprehendi jussit, et spe novarum rerum plebem concitare conatus est. Sed non idonea erat occasio, quum Philippus tunc in Peloponneso esset et pro libertate nitendum esset Lacedæmoniis. Itaque Chilonem sequi recusaverunt; qui, ab omnibus desertus, aufugit et in Achaïam concessit (1). Huc illa reciderunt ut optimates, haud minus potentes sed magis suspicaces quam prius, quid Lycurgus ageret accuratius animadverterent, ephororum ope. Anno 218 a. C. exeunte, ephori Lycurgum, ad eos delatum quasi res novas cogitaret, apprehendere decreverunt. Rex, de periculo certior factus, cum familia sua Ætoliam petivit. Ephori criminationem esse falsam cognoverunt, at ei spatium de re meditandi reliquerunt, nec eum revocaverunt ante sequentis anni æstatem (2). Ex eo tempore, nunquam in suspicionem venit, et optimatibus juvantibus, civitatem placide et sine ullo tumultu administravit. Milites mercede conductos habebat, qui vulgi

1. Polyb., IV, lxxxi, 1-10.
2. Polyb., V, xxix, 7-9 ; xci, 1-2.

turbatores continerent (1). Hunc regem Livius dixit fuisse tyrannum ; haud quidem immerito, nam Lycurgus imperio privavit Agesipolin, et, solio alteri regiæ familiæ ita erepto, filio suo Pelopi ætate puero regnum vita functus reliquit (2). (Circa annum a. C. 211.) Quæ non fecerat Cleomenes, qui quasi solus regnaverat, sed regia stirpe erat, nec Lysander qui Eurypontidas et Agiadas de imperii possessione dejicere frustra tentaverat (3), hæc Lycurgus, vir mediocris, sed opportunitate temporum utens, ad effectum adducere potuit.

Interim Græcorum omnium res graviter mutatæ sunt. Ut ait Polybius, historicus acutissimus : « Ἀπὸ δὲ « τούτων τῶν καιρῶν οἱονεὶ σωματοειδῆ συμβαίνει γίγνεσθαι τὴν « ἱστορίαν, συμπλέκεσθαί τε τὰς Ἰταλικὰς καὶ Λιβυκὰς πράξεις ταῖς τε « κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ ταῖς Ἑλληνικαῖς, καὶ πρὸς ἓν γίγνεσθαι τέλος « τὴν ἀναφορὰν ἁπάντων. » (4) Tertio enim sæculo exeunte, Romani Græcorum negotiis se immiscere cœperunt. Nonnullis Illyricis regionibus occupatis, Philippum accendunt ; qui eos pellere constituit et anno 215 a. C. cum Hannibale amicitiam jungit (5) Attamen Græci pri

1. Cf. Polyb., V, xx, 6. — Ceterum stipendiariis Lacedæmonii ut alii Græci jam inde a quinto sæculo a. C. utebantur. (H. Bazin, *Républ. des Lacéd.*, p. 132-133). Cleomenes habebat Tarentinos et Cretenses milites. (*Cleom.*, VI, 2). Tarentinis et Cretensibus quoque utuntur reges et tyranni de quibus tractamus.

2. Liv., XXXIV, 26 : « ..... Agesipolis..... pulsus infans ab Lycurgo tyranno... » De Pelope, cf. Diodor., XXVII, 1 ; Liv., XXXIV, 32.

3. Quomodo Lysander summopere et frustra studuerit ut verecundiam regiarum familiarum labefactaret et regnum occuparet bene ostendit H. Bazin, *op. cit.*, p. 179-190.

4. Polyb., I, iii, 4 ; cf. V, cv, 5-8.

5. Hertzberg, *op. cit.*, I, 24 et seq.

mum non intellexerunt res illas tanti momenti esse et Philippus ipse, quanquam idonea erat occasio, ad bellum venire non properavit; idcirco, quia Græci Romanorum opes ignorabant nec ullus ante Polybium historicus eorum rempublicam considerare et eorum recte virtutem metiri curavit (1). Itaque Lacedæmonii primum in levi Romanos habuerunt et institutum non mutaverunt.

Syracusis captis anno 212 et Capua anno 211, Græcorum negotiis diligentius intervenire Romani potuerunt. Statim post Capuam captam, M. Valerius Lævinus consul profectus est ad fœdus cum Ætolis contra Philippum faciendum; additumque ut si vellent, eodem jure societatis Lacedæmonii essent (2). Tunc Lacedæmoniorum amicitia ab utraque parte petita est, scilicet ab Ætolis qui eis Chleneam miserunt, atque ab Achæis necnon Macedonibus, qui legatum elegerunt Lyciscum Acarnanem. Hi legati in eadem concione auditi sunt. Chleneas Lacedæmonios vehementer hortatus est ut in amicitia permanerent Ætolorum, quibus non solum Romani sed Attalus rex et Messenii ipsi se adjunxissent. Dein intente sed frustra Lyciscus, juvantibus Lacedæmoniis quibusdam, ad Achæorum partes populum trahere contendit (3). Romanis Ætolisque societas facta est cum Pelope rege (4). (Circa annum 210 a. C.) (5).

1. Polyb., I, iii, 7-8 ; lxiv, 2-4.

2. Liv., XXVI, 24.

3. Polyb., IX, xxviii-xxxix. — Le Bas-Foucart, 194 *d*, decretum quo Acarnanes proxenia donant tres Lacedæmonios, nomine Gorgin, Damasippum et Lacherem, qui fortasse, ut Foucart suspicatus est, Lyciscum juverant. Cf. Dittenberger, 321 ; Cauer, *Delect. inscr.*, 99.

4. Liv., XXXIV, 32.

5. De annorum numero, v. G. Clementi, *la Guerra Annibalica in Oriente*, in *Studi di Storia antica*, fascic. I, p. 78, *Tavola cronologica*.

Quomodo deinde res Lacedæmone se habuerint in Polybii historiarum reliquiis non invenire sed facile suspicari potes. Societate cum Ætolis juncta exsultantes, qui novis rebus studebant regno Pelopem adhuc puerum exuerunt et ducem elegerunt qui bellum curare posset, scilicet Machanidam. Romani rebus suis impediebantur ne Pelopem juvarent (1); ceterum in puero quidem isto parum eis pensi erat.

Qua ratione Machanidas in republica regenda se gesserit ab auctoribus non plane accipitur. Polybius Machanidam vocat tyrannum, eum mercenariis, præcipue Tarentinis, usum esse refert, et mercenariorum semper ope tyrannos Lacedæmone rerum summam obtinuisse monet (2). Nihil amplius addit. Apud Livium res illustriores sunt. *A tyrannis* multos Lacedæmonios pulsos, multos servos liberatos fuisse dicit (3). Hæc verba nequaquam spernenda sunt, quum comprobentur quodam titulo quem, aliquot annis post Nabim mortuum, insculpserunt « Λακεδαιμονίων οἱ φυ[γ]όντες ὑπὸ τῶν τυράνν[ων] (4). » Ergo optimates exsilio affecti sunt non solum a Nabide, sed etiam ab altero tyranno, scilicet Machanida. Hic tamen, sententia nostra, moderatior fuit Nabide. Viros quosdam suspiciosos pepulit, sed reliquos tractavit remisse, quum ab eis, dum Machanidas vixit divitibus ac florentissimis, Nabis ejus successor pecuniam multam extorquere potuerit. Ephororum autem jam nullam mentionem in auctoribus invenimus. Eos a Machanida sublatos esse credi potest.

Quod certum est, enixe cum Achæis dimicavit.

1. Liv., XXXIV, 32.
2. Polyb., XI, x, 9; xii, 7; xviii, 1. — Cf. Liv., XXVII, 29.
3. Liv., XXXIV, 26; XXXVIII, 34.
4. Dittenberger, 213.

Numero plurimos et ad bellum prudentes habuit milites (1) Tyranni ambitione et opibus omnium Peloponnesiorum libertatem periclitari potuit credi (2). Ita Machanidas magis valuit et majore in metu fuit quam Lycurgus, seu ingenii præstantioris causa, seu Achæorum post Aratum mortuum in deterius lapsorum beneficio (3).

Ad bellum gerendum, Machanidas cum Ætolis et Romanis non consensisse at libere egisse videtur. Annis 208-207 a. C., finibus Argivorum castra metatus, in terrorem Achæos conjecit, qui auxilium a Philippo petiverunt. Quum autem Macedonum regem bellum Ætolicum occuparet, Machanidas Olympiorum ludicrum parantes Eleos invadere constituit (4), sed id prævertere certus Philippus cum exercitu Corinthum descendit, Heræam venit, et fama adventus sui Machanidam Lacedæmonem confugere coegit (5). Qui vero bellum mox redintegravit et, in Arcadia Tegea oppido occupato, vires expertus est cum Philopœmene.

Philopœmen, quum diu in Creta mansisset, circa annum 212 a. C. in Græciam reversus, Achæorum exercitum recreare cœperat (6). Hic natura militaris homo, omnia parvi pendens præter bellum, quod usu

1. Plut., *Philop.*, X, 1.
2. Polyb., XI, x, 9.
3. Cf. Hertzberg, *op. cit.*, I, 40. — Freeman, *op. cit.*, 461 et seq.
4. Inventus est titulus brevis a quodam Machanida dicatus deæ Eileithuiæ vel Eleusiæ, cujus templum Lacedæmone erat : « Μαχανίδας ἀνέθηκε τᾶι Ἐλευσίαι. » Ross (*Archæologische Aufsætze*, II, 667) et post eum Foucart (sub n° 162 *e*) et Dittenberger (sub n° 191) putaverunt Machanidam illum diis devotum esse eumdem ac tyrannum. Vides tamen a tyranno sacrilegium non recusatum esse. Non mirandum est. Multi alii fuerunt devoti et sacrilegi.
5. Polyb., X, xli, 2. — Liv., XXVII, 29 ; XXVIII, 5, 7.
6. Plut., *Philop.*, VII, 2-3.

cognitum habebat, ingenium et rerum experientiam impendit Achæorum laudi (1). Prætor creatus quo tempore Machanidas terribilior fiebat (scilicet verisimiliter anni 208 a. C. autumno) (2), opes Spartanorum frangere contendit et octo menses civitates societatis circumivit, milites collegit, formavit, accendit (3). Parato bello, anni 207 æstate, omnes copias Mantineam congregat. Machanidas, qui tunc Tegeæ cum mercenariis et Lacedæmoniis erat, occasionem avide amplexus de summa rerum decertandi, Mantineam petit. Quem quum appropinquare audivisset, Philopœmen exercitum in aciem educit ad septimum ab urbe stadium. Tunc pugna conseritur acerrima, cui præsens inter Achæos Polybius interest. Primo impetu Machanidas, cum stipendiariis suis fortibus et longa militia assuetis, sinistrum hostium cornu ad fanum Neptuni (4) instructum adeo perfringit ut Philopœmenis mercenarii, Illyrii et loricati effusa fuga Mantineam petant. Dein autem tyrannus, qui opportunitate uti et reliquos hostes circumclaudere debet, ardore juvenili fugientium terga usque ad urbis portas compellit. Philopœmen stultitia Machanidæ lætus, eum itinere non prohibet, sed confestim cum mediis cohortibus ad sinistram inclinare jussis locum pugnæ vacuum occupat et sic exercitum restituit, interclusis hostibus. Tunc, tyrannum regres-

1. PLUT., *Philop.*; præcipue cap. IV. — LIV., XXXV, 28. — HERTZBERG, *op. cit.*, I, 39.

2. HERTZBERG, I, 41. Si credis G. CLEMENTI, *op. cit.*, p. 79, Philopœmen creatus fuit prætor anno 207, ac Machanidas victus et occisus anno 206. Equidem ex reliquiis Polybii vel aliis auctoribus nil certum trahi potest.

3. POLYB., XI, x, 8-9.

4. Fanum Neptuni erat haud procul urbe, a parte Euronoti; V. CURTIUS, *Peloponnesos*, I, *Tafel* III, et GUST. FOUGÈRES, *Fouilles de Mantinée*, in *Bull. de Corresp. hellén.*, ann. 1890, p. 80 et seq.

surum non exspectantes, reliqui Lacedæmonii adversus Achæorum phalangem eunt. At phalangitas prætor collocaverat post fossam quæ campum dividit (1). Ordinibus solutis ut fossam transeant, Lacedæmonii, ab Achæis lacessiti, vel profligantur, vel occiduntur. Machanidas, per medium Achæorum agmen a tergo perrumpere frustra contendens, et fugam ad extremum quærens, a Philopœmene ipso interficitur. Quatuor millia vel Lacedæmoniorum vel tyranni mercenariorum in pugna perierunt, major pars capti sunt. Tegea occupata, Achæi postera die juxta Eurotan castra posuerunt et agrum impune vastaverunt. Tantam formidinem fecerat Machanidas, ut victoria illa Philopœmeni fuerit maximæ laudi, et ei statuam equestrem Delphis Achæi constituerint, qua fingebatur, lancea tyranno intenta (2)

Lacedæmonii tamen ad summum non victi erant. Aliquando tyranni sunt magis metuendi quam reges, quia alteri tyranno succedit alter ex suo promerito potius quam ex genere. Strenui enim Machanidæ vices excepit Nabis, vir inter Lacedæmonios temporum illorum longe præstantissimus.

1. « Un grand fossé coupait toute la plaine au sud de la ville, depuis le « temple de Poséidon jusqu'aux contreforts du Ménale..... Aujourd'hui ce « fossé, voisin du temple et endigué avec de grosses pierres provenant de « celui-ci, se perd au milieu des nombreux canaux d'irrigation creusés par « les paysans. » (G. Fougères, *op. cit.*, p. 81 et sub nota 2).

2. Polyb., XI, x, 9 ; xi-xviii. — Plut., *Philop.*, X. — Pausan., VIII, l, 2.

CAPUT III

EPITOME

Nabis tyrannus civitatis statum mutat opesque auget. In Græcia arbitratu suo se gerit, Achæos terret, a Romanis vero debilitatur et ab Ætolis interficitur.

Quo loco Nabis ortus sit, quid prius egerit, qua ratione post Machanidam mortuum tyrannidem occupaverit non dici potest (1). Non erat inter juniores, quum de ejus uxore Apega et genero Pythagora necnon filiis sæpe nobis dicendum sit (2). Nihilominus quam Polybius ei acriter obtrectaverunt plerique historici, quamvis non pariter ac filius Lycortæ haberent quod ei succenserent (3). Sane quidem Nabis fuit potentiæ et pecuniæ cupidus, sævus et exquisitorum suppliciorum avidus ; fortasse tamen ætate nostra admirationem movent, ut recentium imperiorum auctores, multi reges haud minus improbi, at solum melioribus temporibus nati. Nabidi enim nec voluntas defuit nec fortitudo. Audacia Machanidam superans, ut ait Polybius « κατα-« βολὴν δ' ἐποιεῖτο, καὶ θεμέλιον ὑπεβάλλετο πολυχρονίου καὶ βαρείας

1. Si Polybii locus, XIII, vi, 1, me non fallit, rerum Nabis potitus est statim post Machanidam devictum et occisum.

2. Polyb., XIII, vii, 6 ; XX, xiii, 4. — Liv., XXXII, 38 ; XXXIV, 25.

3. Polyb., XIII, vi-viii. — Cf. Diodor., XXVII, 2 ; — Liv., XXXIII, 44 ; — Pausan., VII, viii, 4 ; — Hertzberg, I, 48-49.

« τυραννίδος. Διέφθειρε γὰρ τοὺς λοιποὺς ἄρδην ἐκ τῆς Σπάρτης » (1), optimates ab Antigono restitutos afflixit et novas res a Cleomene factas refecit. Opibus vero ita comparatis usus est ad imperium Spartanorum restaurandum et potestatis suæ manere contendit.

Omnes Spartanos qui ei æmulari vel obsistere poterant e medio inclementer sustulit. Pelopem, Lycurgi filium, et ætate admodum puerum, ad mortem dedit, ne quando adolescentiam ingressus generis sui meminisset (2). Ex eis qui divites aut nobiles erant, alios Lacedæmone manere passus est ut ab eis pecuniam extorquere posset pro rei necessitate, alios, noxios magis et inutiliores habitos, interfecit vel expulit et in ipsis locis in quæ confugerant interdum necavit, ut sollicitudine se liberaret. Ceterum ab exsulum et proscriptorum propinquis manus abstinuit, et eorum sorores, uxores et liberos agris donavit. Solitudinem enim in civitate facere noluit, at contra adhibuit curam ut frequentius habitaretur. Multis civibus in prioribus bellis occisis vel ab ipso proscriptis, non solum magnam multitudinem servorum (id est, mea sententia, ilotarum) liberavit, sed omnes peregrinos qui in patria sua vivere non poterant, undique vocavit, et eis civitatem aut pleraque civium jura donavit, uxores filiasque exsulum ac proscriptorum in matrimonium collocavit. Profecto quidem omnia bona in medium ut Cleomenes non contulit, quum Lacedæmone manserint aliquot viri ditiores ceteris; sed principibus partium suarum et adscripticiis egentibus agros vacuos assignavit (3). Ea ratione, qui sub Nabidis regno fuerunt,

1. Polyb., XIII, vi, 2-3.
2. Diodor., XXVII, 1.
3. Polyb., XIII, vi; XVI, xiii, 1-2; XXV, viii, 3. — Liv., XXXIV, 31, 36; XXXVIII, 34. — Diodor., XXVII, 1. — Polybius non aperte dicit

plerique tantum studium in eum habuerunt, ut, anno 195 a. C., T. Quinctius Flamininus, ad urbis portas accedens, Lacedæmonios adversus tyrannum frustra sollicitaret, et posterius fateretur Nabim aliter quam ruina gravissima civitatis non posse opprimi (1).

Ante Nabidis regnum, nullum ærarium Lacedæmoniorum reipublicæ erat. Hujus rei memoriam civibus Archidamus rex attulerat quo tempore bellum Peloponnesiacum mox erat incipiendum (2). Aristoteles quoque hoc vitium indicavit : « Φαύλως δὲ ἔχει καὶ περὶ τὰ κοινὰ « χρήματα τοῖς Σπαρτιάταις. Οὔτε γὰρ ἐν τῷ κοινῷ τῆς πόλεως ἔστιν « οὐδὲν πολέμους μεγάλους ἀναγκαζομένοις πολεμεῖν, εἰσφέρουσί τε « κακῶς... Ἀποβέβηκέ τε τοὐναντίον τῷ νομοθέτῃ τοῦ συμφέροντος · « τὴν μὲν γὰρ πόλιν πεποίηκεν ἀχρήματον, τοὺς δ' ἰδιώτας φιλοχρη- « μάτους (3). » Hoc Cleomenes ipse malum non sanaverat. Omnia a Nabide mutata sunt, illa violentia quam postu-

Nabim civium numerum auxisse, at solummodo refert eum servis liberatis et mercenariis militibus adscitis agros imo familiam dedisse; patronum et regem mercenariorum se constituit (Ὧν προστάτην καὶ βασιλέα αὑτὸν ἀναδείξας). Vox *patroni* non vera esse videtur. Manifestum est hos omnes tyranni adjutores non peregrinorum sed civium loco fuisse : eorum Nabis fuit *rex*. An Livii scripta sint dilucidiora nunc examinandum est. Qui refert Nabim « multitudinem auxisse »; in alio loco clariore servos ab eo liberatos dicit « Lacedæmoniis adscriptos » esse vocatos; « adscribere civitati » significat gallice « donner le droit de cité ». Si huic loco credis, peregrini non ita vocabantur. Attamen hi haud aliter ac servi liberati posterius tractacti sunt ab Achæis et Romanis. Simul enim mercenarios et servos liberatos pepulit Philopœmen et restituit Senatus. Nabide regnante, civis dignitatem non magni factam esse credimus : libertas et tyranni gratia solummodo requirebantur. Aut Nabis mercenarios suos civitate donavit, aut eis jura præcipua largitus est et eos ut cives revera tractavit. Tantum post mortuum tyrannum, ejus amicis jura illa in controversiam deducta fuerunt.

1. Liv., XXXIV, 33, 49.

2. Thucyd., I, 80.

3. Arist., *Polit.* II, vi, 23 (Susemibl, p. 129.) — Cf. Plut., *Apophtegm. Lacon. Anax. Eurycr.* (*Moralia*, ed. Didot, I, 265).

labat necessitas. In urbe tyrannus servaverat divites non metuendos, a quibus argentum et aurum extorquere utilius quam exsilio eos mulctare existimabat. Quum res poscebat, unum ex divitibus in certam domus suæ exedram venire jubebat, et primum sermonibus ab eo pecuniam petebat. Si quis eam abnuebat, « Apegam vero, aiebat, puto tibi persuasuram ». Tum ostendebat machinam arte insigni structam, qua tyranni uxor fingebatur, et rebellem admovebat ad hujus simulacri pectus, ferreis clavis plenum quos vestes pretiosæ occultabant; brachiis simili modo instructis pressus et ad mammas attractus, misero pecunia danda aut moriendum erat. Polybio teste, multos ita sustulit (1). Si Pausaniæ credimus, templa quoque diripuit Nabis, at, sententia nostra, extra Laconiam, quum sine dubio deos civitatis coleret (2) et contra e finitimorum bonis copiose prædari soleret. Maritimorum enim latrociniorum societatem cum Cretensibus ab eo initam esse, et fures atque sacrilegos per universam Peloponnesum missos esse, quorum lucri particeps esset, asserit Polybius (3). Memento autem hæc tam misero tempore haud rara fuisse. Quibus modis et fortasse quoque vectigalibus Nabis ærarium complevit (4).

1. Polyb., XIII, vii.

2. Pausan., IV, xxix, 10. — Cf. Polyb., XIII, vii, 4 : « ὑποδεικνύων... « τὰς εἰς τοὺς Θεοὺς καὶ τὰς κοινὰς τῆς πόλεως δαπάνας. »

3. Polyb., XIII, viii, 1-2. Tunc Cretenses piratæ ob audaciam pernoti erant : Diodor., XXVII, 3.

4. Pausan., IV, xxix, 10. — Teste Plutarcho (*Philop.*, XV, 6), post Nabim mortuum, ex pretio bonorum suorum venditorum, recepta sunt centum et viginti talenta. Sane quidem pecuniam suam privatam publicæ miscuit. Anno 195, inter conditiones in quas pax cum tyranno fieret a Quinctio conscriptas annotamus « talenta centum argenti in præsenti et « quinquaginta talenta in singulos annos per annos octo. » (Liv., XXXIV, 35.)

Quum multi peregrini in civitatem recepti et magnæ opes in publicum redactæ essent, exercitum haud temnendum Nabis habere potuit. Præter alienigenos viros in Laconia habitantes et agris donatos, conducticios multos collegit, præcipue in insula Creta, cujus pars in ejus ditione erat. Livio enim teste, Nabis plures urbes in Creta habuit, ab ea mille delectos milites excivit, sexcentos Cretenses Romanis dedit et posterius, quum a Flaminino invaderetur, rursus mille comparavit (1). Multis auctoribus, Nabis, vere tyrannus, mercenariis præcipue confidebat.

Publica pecunia, potuit quoque Spartæ munimenta stabilius reficere, quæ citatim et tumultuario opere erant objecta tempore oppidi a Demetrio et Pyrrho oppugnati. Murum locis patentibus et planis exstruxit et altiora loca difficiliaque aditu præsidiis armatorum tutatus est (2).

Denique Lacedæmonii tunc demum classe valuerunt. Antea, quanquam vetus præceptum parum observabant quod eis rebus nauticis interdicebat (3), nunquam tamen facultatem habuerant navium satis magnam (4). Nabis classem comparavit, exigua quidem impensa. Naves enim civitatibus maritimis ademit, juvantibus sine dubio Cretensibus. Nautarum peritorum a Creta et maritimis Laconiæ oppidis excitorum opera usus est. Ut antiquitus,

1. Liv., XXXIV, 35; ibid., 27; XXXII, 40. — Vidimus supra Lycurgum mercenarios Cretenses habuisse. Dittenberger titulum edidit, quo teste Areus Lacedæmoniorum rex (309-265) socios habebat partem Cretensium. Hujus insulæ civitates acerrime inter se dissidere solebant. (Dittenberger, sub n° 163, v. 26-27.) Nabide regnante, pars Cretensium in ejus ditione fuit, pars fortasse ei obstitit.

2. Pausan., VII, viii, 5. — Liv., XXXIV, 38.

3. Plut., *Instit. Lacon.*, XLII.

4. De Lacedæmoniorum rebus maritimis, v. Weber, *De Gytheo et Laced. reb. naval.*, p. 36 et seq.

portus imperii præcipuus fuit Gythium: quam urbem, Nabide regnante, validam fuisse, terra marique munitam, multitudine civium incolarumque et omni bellico apparatu instructam, omniumque maritimarum rerum Lacedæmoniis receptaculum refert Livius. Dum ad bellum veniret, classe tyrannus usus est ad omnem oram Maleæ infestam habendam, adeo ut cives Romanos in pace capere et interficere piratæ auderent (1).

Per primum triennium, Nabis nihil aliud curavit quam ut reipublicæ opes confirmaret (2). Interim Ætolos, non solum ab Lacedæmoniis sed etiam ab Romanis alias occupatis desertos Philippus ad petendam pacem subegit. P. Sempronius proconsul serius venit. Tum, anno a. C. 205, pax convenit, fœderique ab Romanis adscriptus est Nabis (3). Tyrannus tamen, bello parato, protinus ab anno 204 signa contulit, nescio qua causa inani prætexta (4). In Messeniam, facilem prædam, primum impetum fecit, quanquam Messenii, juxta atque Lacedæmonii, Ætolis et Romanis jungebantur (5). Ita demonstravit se in animo habere ut in Peloponneso dominaretur, adversariis omnibus obtritis et prioribus fœderibus calcatis. Capita in quibus Polybius hanc expeditionem exposuerat non nobis servata sunt, at solum caput in quo Zenonis Rhodii narrationem examinat et vituperat (6). De hac re Plutarchi et Pausaniæ scripta inter se satis abhorrent. Inscios sane et imparatos Nabis nocte invasit Messenios, urbem occupavit et arcem oppugnare decrevit. Statim autem

1. Liv., XXXIV, 29, 32, 35-36.
2. Polyb., XIII, vi, 1.
3. Liv., XXIX, xii.
4. V. quid narraverit Polybius, XIII, viii, 3-7.
5. Polyb., XVI, xiii, 3. — Liv., XXXIV, 32. — Pausan., VIII, l, 5.
6. Polyb., XVI, xvi, xvii.

Megalopoli certior factus, Philopœmen Lysippum tunc Achæorum prætorem properavit adire, at, nullo auxilio ab eo impetrato, cives libentes secum duxit, et, post aliquot horas, ab eo Nabis cedere coactus abiit (1).

Mox vero Philopœmen, quum metueret ne tyrannus imperium suum aut saltem rerum novarum cupiditatem proferret (2), bellum redintegrare constituit. Prætor in annum 201-200 creatus, certamini vires tam occulte contraxit ut Nabidis exploratores disturbaret, sensim copias in urbe Tegea collegit et eas tandem in insidiis circa Scotitam, inter Tegeam et Lacedæmonem, sub Parnonis montis radicibus collocavit. Interim delecta manus, per Sellasiam iter faciens, Laconiam invaserat, jussa in insessa loca attrahere mercenarios quos tyrannus Pellenæ præsidium posuerat. Qui enim, irruptione audita, statim advolant, Achæos, ita ut erat præceptum, pedem referentes insequuntur, in insidias irruunt et partim trucidantur, partim capiuntur (3). Fortasse postea bellum diuturnum et Megalopolitanis finitimum, de quo Polybius locutus est, a Nabide adversus Philopœmenem et ejus legatum Diophanem agitatum est (4). Interim prætor magistratum deposuit, et, vituperatione neglecta, in Cretam iterum profectus est, summam rerum relinquens Cycliadæ, qui illi nequaquam æquandus erat. Dilapsas cernens Achæorum opes, Nabis bellum ursit, fines vastavit, et ad portas Megalopolis urbis castra posuit, incolas cogens mœnibus se tenere et viarum solo semen ingerere (5).

1. Plut., *Philop.*, XII, 4, 5. — Pausan., IV, xxix, 10; VIII, l, 5. — Cf. Polyb., XVI, xvii, 3.

2. Cf. Liv., XXXIV, 33.

3. Polyb., XVI, xxxvi-xxxvii.

4. Polyb., XXI, vii, 3.

5. Liv., XXXI, 25. — Plut., *Philop.*, XIII, 1-3, 7.

Eo tempore Romani, Pœnis tandem subactis, Græcorum negotiis acerrime intervenire et Macedonum regem affligere decreverunt. Anno 200, idibus martiis, qua die P. Sulpicius Galba et C. Aurelius consulatum inibant, P. Sulpicius omnium primum eam rem Senatui retulit et bellum paratum est adversus Philippum (1). Qui vero tum jacebat solus et destitutus, quia offenderat omnes Græcos, ut Achæos, qui, a Lacedæmoniis territi, auxilium ab eo frustra poposcerant. Instante nunc periculo, rationem vertit et, Achæorum concioni superveniens, certamen in Nabim se suscepturum eis pollicitus est, dum ei copias adversus Romanum suppeditarent. Hoc propositum recusaverunt Achæi, tanto bello illigari nolentes (2). Eodem anno, Ætoli in Romanorum partes concesserunt (3). Achæi eos sequi cunctabantur, quanquam Nabis eos assidue terrebat (4). Ad extremum, quum medios se gerere non possent, et timerent ne terra a Lacedæmoniis, mari a Romanorum necnon Nabidis classibus acerbe vexarentur, exaudiverunt T. Quinctium Flamininum, consulem anno 198 creatum, qui fœdus cum eis fecit et postea fidem firmissimam eis attulit (5). Nemo enim inter Romanos magis idoneus T. Quinctio erat qui Græcos caperet et illecebris irretiret, quia Græcorum animum et mores nemo magis referebat. Ut illi, erat fervens, satis levis et vanus, nativo lepore affluens et ad persuadendum maxime concinnus, naris emunctæ, versutus et facilis, et famæ dulcedine succensus. Græci igitur, quum plerorumque

1. Liv., XXXI, 1, 5.
2. Liv., XXXI, 25.
3. Liv., XXX, 40-41.
4. Liv., XXXII, 19, 21.
5. Liv., XXXII, 19-23

Romanorum moribus agrestibus et ferocibus delectari non possent, similem suî magno gaudio agnoverunt T. Quinctium et mirifice dilexerunt (1).

Nabis vero non is erat qui T. Quinctii orationibus duceretur. Constituit vero nec huic nec illi parti assentiri, at liberum se gerere, aut potius fidem mutare, ab altero ad alterum deficere et hoc modo lucrum facere certum. Quæ ratio infinitam utilitatem regibus quibusdam ævi nostri attulit, sed semper cum summo periculo est tractata, tunc scilicet exitio fuit Lacedæmoniis.

Philippus, a Romanis eorumque sociis pressus, metuebat ne Argivorum finibus a se occupatis Macedones pellerentur. Itaque eas Nabidi offerre voluit, ea mente ut tyrannus amicitiam cum eo institueret, et adversus Romanum Argos servaret. Post victoriam partem, oppida a Nabide occupata recuperari posse arbitrabatur. Anni 198/7 hieme, Philoclem misit qui Argos Nabidi relinquendos et filias regis in matrimonio tyranni filiis conjungendas offerret. De re intra se meditatus, Nabis non eam respuit, et profectus est ad Argos et oppida vicina præsidiis munienda (2). Olim vero Cleomenes Argos iniverat et hanc præclaram civitatem, nunquam adhuc Spartanæ ditionis firmiter factam, in suam potestatem facile redegerat. At vero, teste Plutarcho, non alia causa fuit prosperi successus illius, quam quod Cleomeni favebant qui novas res moliebantur et eum tabulas novas facturum sperabant. Rex vero, qui, ut dixi, novas res extra Laconiam proferre non curabat, et Aratum tantummodo armis affligi posse arbitrabatur, spes Argivorum fefellit. Tunc plebe ab Aristotele quodam adversus Cleomenem accensa, Lacedæmoniorum

1. Cf. Plut., *Flamin.*, I, II, XVII.
2. Liv., XXXII, 38 ; XXXIV, 35.

obedientiam Argivi exuerunt (1). Hac re animo collecta, Nabis plebi se probare voluit. Et enim, quamquam Polybius et Livius hujus civitatis statum non diligentius nobis aperiunt, credimus plebem et optimates tum temporis ut olim inter se acerbe contendisse.

Argivorum civitatem per quosdam principes Philippo proditam esse fert Livius (2). Hi optimates, ingenio proni ad tyrannos respuendos, quando Philippum Argos Lacedæmoniis traditurum esse audiverunt, in concione nomen Nabidis dira exsecratione prosecuti sunt. Plebs vero, quum adhuc tyranni consilia non plane cognosceret, mediam se gerebat. Itaque Philippus populum in suffragium mittere non ausus est, et occulte, nocte, Nabis oppidum inivit, superiora loca occupavit et portas clausit. Prima luce, ea res ut est nuntiata, tumultu tota urbs mixta est, nonnullique optimates elapsi sunt, quum a tyranno se conculcandos esse haud immerito arbitrarentur. Nabis enim divitum fortunas diripuit, in tormentis dilaceravit quos celare pecuniam suspicio fuit, et uxori suæ Apegæ curam dedit mulierum vestibus et ornamentis pretiosis spoliandarum. Denique Nabis, concione advocata, rogationem promulgavit unam de tabulis novis, alteram de agro viritim dividendo. Sic profecto majorem partem multitudinis sibi conciliavit. Dicet aliquis, auctore Livio, Nabim recusavisse concionem dare liberam, id est nullo Spartano in urbe manente vel in concilio immixto. Quid mirum? Novæ res nisi vi non servantur. Quam ob causam Nabis

1. Plut., *Cleom.*, XVIII, 2, XX, 3.

2. Liv., XXXII, 25. — Cf. Fustel de Coulanges, *Cité antique*, p. 439 : « Si en 198 Argos ouvre ses portes aux Macédoniens, c'est que le peuple « y domine. » Livio contra teste (XXXII, 25), optimates composuerunt artes ut urbem Philippo proderent, imo sunt mirati plebem non acrius repugnare.

concionem præbere nolebat liberam, in qua optimates rursus valere fortasse potuissent. Livius ipse nobis ostendit magnam Argivorum partem Nabidis fidem retinuisse, quum posterius urbe ab hostibus obsessa, optimates plebem adversus Lacedæmoniorum præsidium concitare frustra contenderint, et deinde, Nabide in Laconia oppugnato, ejus gener Pythagoras duo millia Argivorum ad eum juvandum duxerit (1).

Ita Nabis, vix potitus oppido quod ei rex Macedonum tradiderat, amicos Philippi afflixit et statum civitatis mutavit ut plebem sibi conciliaret. Tyrannus enim Argos retinere suos constituerat, ita ut Philippus ab eo deluderetur quem fallere speravisset. Fortasse præsentiens quantum Romani valerent, his amicitiam suam obtulit, Macedonum rege aperte prodito. Ad colloquium igitur venit cum Quinctio; hoc suscepit et pollicitus est ut inducias cum Achæis, adhuc ab eo assidue lacessitis, in quatuor menses faceret, et Quinctio sexcentos Cretenses daret; sed recusavit exercitum suum ex Argivorum oppido deducere nec fuit ab Romanis perseveratum. Postea, præsidium firmatum credidit Pythagoræ et Lacedæmonem redivit (2).

Philippo ad Cynoscephalas victo, pax convenit anno a. C. 196. Tum Senatus Romanus liberos, immunes suisque legibus esse Græcos jussit (3). Nihil de Lacedæmoniis peculiariter decretum cognoscimus. At vero, Græcia a Senatu liberata, Nabidis ambitio omnino impediebatur; quæ igitur Isthmiis a præcone erant pronuntiata in Lacedæmoniorum rebus maximi momenti erant.

1. Liv., XXXII, 38-40; XXXIII, 1 : « Hæc per hiemem gesta. » XXXIV, 25, 26, 29. — Polyb., XVII, xvii, 2-5.

2. Liv., XXXII, 39-40.

3. Polyb., XVIII, i-xxix. — Liv., XXXIII, 30-33.

Romanum seu magnanimo animi motu impulsum Græcorum libertatem sincere cupivisse, seu in illa libertate spem reposuisse ut mox hi in deterius laberentur, sive (ut quidem ego sentio) hoc tantum spectasse ut, quaque civitate suis legibus vivente, nulla præpolleret, æstimare potes; utcumque arbitratum erit, Senatus Nabidi concedere noluit nec potuit imperium suum in Peloponneso proferre.

Qui fœdus cum Philippo iniverant, Romam regressi, exposuerunt « hærere et aliud in visceribus Græciæ « ingens malum, Nabim nunc Lacedæmoniorum, mox, « si liceat, universæ Græciæ futurum tyrannum... Cui si « Argos velut arcem Peloponneso impositam tenere « liceat, deportatis in Italiam Romanis exercitibus « nequicquam liberatam a Philippo Græciam fore, pro « rege, si nihil aliud, longinquo, vicinum tyrannum « dominum habituram ». Cum diu disceptatum esset, Senatus Quinctio quod ad Nabim attinebat permisit; ob quam causam ei imperium fuit prorogatum et duæ legiones relictæ fuerunt (195, mense martio) (1). Tunc fortasse Quinctius et Nabis ad colloquium inane et turbidum venerunt, ad quod spectent hæc Strabonis verba : Macedonibus a Romano subactis, Lacedæmonii « μικρὰ « μέν τινα προσέκρουσαν τοῖς πεμπομένοις ὑπὸ Ῥωμαίων στρατηγοῖς, « τυραννούμενοι τότε καὶ πολιτευόμενοι μοχθηρῶς » (2).

Quinctius vero, semper Græcorum liberatorem se gerens, Corinthum advocavit civitatum sociarum legatos et ad eos retulit, « utrum Argos ab Nabide occupatos « pati vellent sub ditione ejus esse, an æquum censerent « nobilissimam vetustissimamque civitatem, in media « Græcia sitam, in libertatem repeti ; » addidit « hanc

1. Liv., XXXIII, 43-45. — Justin., XXXI, 1.
2. Strab., VIII, v. 5.

« consultationem tota de re pertinente ad eos esse, et « se staturum eo quod plures censuissent ». Legatus Ætolorum, qui omnino aliter quam Achæi et Athenienses sentiebant et Romanos Græcorum negotiis tam potenter et efficaciter interesse ægre ferebant (1), perfidiæ et tergiversationis imperatorem insimulavit, quum Argos et Nabim causam manendi in Græcia faceret : « Deportarent Romani legiones in Italiam : Ætolos pol-« liceri aut conditionibus et voluntate sua Nabim præsi-« dium Argis deducturum, aut vi atque armis coacturos « in potestate consentientis Græciæ esse. » Hæc verba multorum indignantium clamorem moverunt nec impediverunt quominus de Quinctii sententia plerique censerent et bellum commune decernerent. Decem millia Achæorum ad exercitum Quinctii accesserunt, qui non longe ab Argis castra locavit. Pythagoras vero, qui animum et virtutem ducis gerebat, cautionem adhibuit, utrasque arces et loca alia opportuna munivit, motum ab optimatibus factum compressit, imo impetum fecit ex oppido. Quinctius, cum frustra exspectasset si quid novi tumultus oriretur, cum Aristæno Achæorum prætore consensit ut tyrannum ipsum, caput belli, et Lacedæmonem peterent. Itaque, Argivorum campo vastato et messibus convectis, profecti sunt. Mox quoque discessit Pythagoras, ad Nabim juvandum, cum mille mercenariis et duobus millibus Argivorum, ceteris relictis Timocrati Pellenensi, cujus fide tyrannus sæpe in negotiis magnis usus erat (2).

Ex quibusdam Strabonis et Livii locis potest probabiliter confici Romanos in Laconia invenisse certos suî fautores inter optimates et præcipue ilotas ac periœ-

1. Cf. Liv., XXXIII, 35.
2. Liv., XXXIV, 22-26, 29. — Polyb., XVII, xvii, 1.

cos (1). Ut ait Livius, inter omnes constat in civitatibus optimum quemque Romanæ societatis fuisse (2). Ex periœcis et ilotis, qui tyrannis non grati in ordine suo relicti erant, Spartanis sine dubio ut olim invidebant, vel potius viris undique adscitis, seu indigenis, seu alienigenis, quos Nabis favore amplectebatur. Periœcos vero et ilotas sæpe pecuniosos fuisse memento. Ergo, ut olim Epaminondæ, Romano Lacedæmonii nonnulli auxilio fuerunt.

T. Quinctius Flamininus Peloponnesum cum cunctis copiis suis petivit, quibus juncti mille et quingenti Macedones a Philippo missi, Thessalorum equites quadringenti, et Lacedæmoniorum exsules permulti, quorum princeps erat Agesipolis, regno olim a Lycurgo exutus. Præterea L. Quinctius proprætor, Titi frater, ab Leucade quadraginta navibus venerat, necnon Rhodii et Eumenes rex classes paratas offerebant. Ne multa, T. Quinctio quadraginta millia hominum erant. Quo audito, Nabis, non fracto animo, studiosissime restitit. Duo millia Cretensium delectorum, tria millia stipendiariorum, decem millia ex omni ordine incolarum in armis habuit, et fossa valloque urbem munivit. Octoginta fere optimatum, pro suspectis habitos, et coram populo arreptos, « donec ea quæ instaret tempestas præteriret » custodiendos esse pronuntiavit : nocte sequenti omnes occisi. Ilotarum nonnulli, transfugere voluisse insimulati, sub verberibus interfecti sunt. Hoc terrore Nabis proditionem intestinam impedivit (3).

1. V. infra quomodo optimates et ilotas suspectos Nabis tractaverit.
2. Liv., XXXV, 34.
3. Liv., XXXIV, 26-27, 38. — De L. Quinctio tunc proprætore, v. Dittenberger, 200, sub nota 9. — Idem sub n° 203 titulum edidit exsculptum a militibus qui cum Eumene contra Nabim stabant.

Resistere et hostem tantum fatigare tyrannus constituit : itaque Romanis ad Eurotan amnem iter esse sivit. Ut vero juxta urbis muros castra metari cœperunt, eos incautos aggressi mercenarii Nabidis loco primum commoverunt, et deinde, Romanis ad pugnam instructis, pedem retulerunt. Haud aliter, postera die, quum Quinctius sub Menelaii montis radices copias suas duceret, Nabidis mercenarii impetum fecerunt in extremum agmen, cui Ap. Claudius præerat; at quidem, nunc prudentes et parati, Romani signa statim converterunt et in aciem processerunt; in justo prœlio victi, mercenarii partim fugati sunt, partim cæsi. Postea in urbe Nabis copias servavit, et T. Quinctium populabundum agros usque ad mare pervenire passus est. Interim L. Quinctius maritimæ oræ oppida sui juris faciebat; ibi præcipue præpollebant faventes Romanorum partibus. Urbes multæ in fidem ac ditionem populi Romani voluntate se dederunt. Oppidum tamen munitissimum Gythium L. Quinctius, Eumene rege et Rhodiis juvantibus, terra et mari oppugnare debuit. Gorgopas enim, qui apud cives urbis plurimum auctoritatis habebat, resistere decrevit, et Dexagoridan, Romanorum fautorem præcipuum eis urbem tradere molientem, interfecit. Quum tamen T. Quinctius ipse appropinquavit, Gorgopas partes quas abhorruerat sequi et in deditionem venire coactus est.

Quæ res ubi nuntiata est, Nabis desperavit saluti, quanquam Pythagoras modo cum auxiliis accesserat. Ab imperatore colloquium impetratum est. Tyrannus T. Quinctium delenire frustra contendit, quum prætenderet se, post fœdus cum Romanis factum, eis nullum detrimentum attulisse. Eum vero T. Quinctius gravius refellit, et reprehendit quod nimis avidus et crudelis, ambiguo animo et ancipiti fide semper esset, atque, in

mari quod haberet infestum Romanis ipsis non abstineret. Aristænus, Achæorum prætor, eum hortatus est ut sibi consuleret et imperium deponeret. Nox diremit colloquium. Postera die, Nabis proposuit se Argis præsidium deducturum et captivos perfugasque redditurum. Tum Quinctius cum sociorum principibus habuit consilium; plerique censuerunt tyrannum esse tollendum; sed imperator videbat obsidionem fore diuturnam, Antiochum vero Syriæ regem cum magnis copiis in Europam transisse et jam minis uti; præterea inchoati belli victoriam novo consuli fortasse tradere nolebat. Itaque sociis ostendit rem fore longi temporis, magni laboris et haud parvi sumptus, atque impetravit ut curam pacis cum tyranno faciendæ ei permitterent. Nabidi igitur conditiones obtulit, de quibus infra dicendum erit. Ad summam, tyrannum volebat non solum ea quæ jam pepererat omittere, sed spem præpollendi omnino abjicere, navibus et oppidis maritimis demissis. Tunc manifestum fuit quam fideliter plerique Spartæ urbis populares Nabidis fortunam sequerentur : hi enim, quanquam reducendorum exsulum mentio nulla a Quinctio facta erat, se debilitari et affligi arbitrati sunt, debilitato et afflicto duce. Livius (qui supra dicit Nabim metu et acerbitate pœnarum tenuisse animos, quoniam *ut salvum vellent tyrannum sperare non posset*) (1), nunc cogitur secum ipse pugnare et enarrare qua ratione incolæ et mercenarii, conditionibus fama propemodum cognitis, indignabundi tumultuati sint, et in concione interrogati quid facere vellent, una voce bellum geri jusserint, atque, certaminis avidi, statim jacula emiserint ut Romanis dubitationem quin bellandum esset tollerent.

1. Liv., XXXIV, 27.

Nabis, in Ætolorum auxilio fortasse posita spe, confidere rursus cœperat et hanc populi significationem invitaverat. Per quatuor dies crebras ex oppido eruptiones facit, sed parum proficit. Quid postea actum sit in diversum auctores trahunt. Sunt qui, ait Livius, tradant tyrannum castra posuisse adversus Romanorum castra, et, multis diebus per dubitationem consumptis, ad extremum acie confligere coactum, eo prælio victum pacem petivisse, cum cecidissent quindecim millia militum, capta plus quatuor millia essent. Livius vero in traditionem frequentiorem et verisimiliorem transivit. Quinta die, in prælium venerunt justum, sed parum cruentum; paulo post, Quinctius urbem tripartito aggressus est, et viribus præstantior Lacedæmonios oppressisset, nisi Pythagoras succendi ædificia proxima muro jussisset. Imperator, metuens ne jam ingressi milites a ceteris intercluderentur, receptui canere jussit et Romani pedem retulerunt. At, quum loco staret et operibus urbem sæpiret, Nabis animum abjecit et hostium potestati se permisit. Eodem tempore, in Argivorum civitate optimatum res resurrexit et Lacedæmonii pulsi sunt (1).

Nabis igitur subivit conditiones quas paucis ante diebus recusaverat.

I. Oppidis Argivorum quæ adhuc occupabat et civitatibus omnibus quæ in fidem ac ditionem populi Romani se tradiderant tyrannus præsidia deduxit. Sociis Romanorum civitatibus reddidit captivos, perfugas, mancipia et quæcumque paraverat.

1. Liv., XXXIV, 28-41. — Zonaras (IX, 18) breviter tantum complexus est narrationem Livii vel fortasse Polybii.

II. Spes præpollendi abjecta est. Ærarium fere exhaustum est, quum ingentes pecuniæ imperarentur. Talenta enim centum argenti in præsenti, et quinquaginta talenta in singulos annos per annos octo solvenda erant. Tyranno interdictum est de ullo oppido vel castello in suis alienisve finibus condendo, de societate ulla instituenda, de bello gerendo. Maxime autem omnium ea res offendit, quod civitatibus maritimis reddere naves quas illis ademerat, et reliquam classem imperatori tradere debuit, quum navem nullam præter duos lembos servare posset; quod præterea urbes quas in Creta habuerat Romanis dedere et oram ipsam Laconiæ maritimam omittere coactus est, cujus tuendæ Achæis a T. Quinctio cura est mandata.

III. De exsulibus in regionem Nabidi relictam reducendis nulla mentio fuit. Sed habitare in Laconicæ oræ oppidis castellisque potuerunt, et eos sequi liberis et uxoribus licuit, si vellent (1).

1. Liv., XXXIV, 35 ; XXXV, 12, 13, 26 ; XXXVIII, 30. — Quæ omnia profecto acta sunt anni 195 autumno. — Curtius de his sic locutus est : « Die natürliche Gliederung der Landschaft wurde die Grundlage einer « politischen Trennung, und die Spartaner, statt vom Binnenlande aus die « Umlande zu beherrschen, sassen nun wie in einem Gefängnisse, ringsum « von feindlichen Ortschaften umgeben und durch sie vom Meere und « den Nachbarlandschaften abgeschnitten. » (*Peloponnesos*, II, 214.) Curtio non accedimus. Spartani non fuerant « ringsum von feindlichen Ortschaften « umgeben », quum postea de finibus cum Messeniis et Megalopolitanis litigavissent. V. infra p. 85 et 95. Dicit solummodo Livius *maritima oppida* Nabidi adempta esse. Præterea, quot numero Nabidi adempta fuerint, quæve nomina, non patet. Præter Gythium et Lan, nullum ab historicis refertur. Hæc oppida omnino eadem esse ac Eleutherolaconum civitates noli putare, quum Eleutherolaconum societas longe posterius instituta sit. V. infra p. 94. Præterea Nabim oppidis maritimis solummodo exutum esse, mediterraneas autem nonnullas urbes, ut Geronthras et Marium, in Eleutherolaconum concilio fuisse satis constat (Pausan., III, xxi, 7).

Ut fides interponeretur, Nabis obsides dedit quinque, filium in iis suum Armenem, qui postea ante currum Quinctii triumphantis ivit et apud Romanos mortuus est. Sex mensium induciæ sunt pactæ, dum Senatus auctoritate pax confirmaretur. Circa anni 194 mensem martium, Romam advenerunt Nabidis legati, et confirmationem impetrarunt (1).

Achæi et Ætoli ipsi ægre tulerunt Nabim, Quinctii clementia, etiamnunc regnare, « non suæ solum patriæ « gravem, sed omnibus circa civitatibus metuendum », et populum Romanum « Nabidis dominantis satellitem « factum ». T. Quinctius, in concione Corinthi convocata, se excusavit quod videret sine excidio reliquorum Spartanorum Nabim non periturum. Aliis quoque de causis ita se gesserat : homo temperatus erat et medius, et, ut jam dixi, famæ cupidus, ergo non is qui alii duci victoriam jam inchoatam dederet (2).

Ceterum Quinctius sincere credebat se Nabim velut exsanguem et innoxium reliquisse (3). Non vero recte credebat. Tyrannus enim, inclusus suis prope muris, nec facile pacem ferens, proximam arrepturus erat

Ex his vero non colligendum est Nabim a Lacedæmoniis mediterraneis dilectum et adjutum esse. Periœcos et ilotas Romanis omnes favisse dicit Strabo (VIII, v, 5). Oræ populares libertate a Quinctio data gavisi sunt. Inventus est titulus de statua posita T. Quinctio Flaminino Gytheatarum conservatori (Dittenberger, 199).

1. Liv., XXXIV, 35, 40, 43, 52. — Polyb., XX, xiii, 4 ; XXI, ix, 10. — Diodor., XXVIII, 12.

2. Liv., XXXIV, 41, 48-49. — Diodor., XXVIII, 12. — Plut., *Flamin.*, XIII, 1-2. Quibusdam historicis recentioribus si credis, Senatus Nabim hærentem visceribus Græciæ, ut ea debilitaretur, ex industria reliquit. Sed Livius (XXXIII, 45) plane exponit Senatum Quinctio quod ad Nabim attineret omnino permisisse, quum rem arbitraretur non ita magni momenti ad summam rempublicam esse.

3. Liv., XXXIV, 49. — Justin., XXXI, 3.

occasionem fœderis solvendi. Ætoli autem, qui paulo post Nabim victum amicitiam populi Romani deseruerant, necessitate coacti in concordiam rediverunt cum tyranno, quem olim tolli voluerant, at nunc Romanis offensum non sine gaudio videbant. Itaque Damocritus, ab eis missus anno 193, Nabim admonuit ut occasionem non prætermitteret, quum Romani nullam legionem in Græcia haberent. Non quidem addidit alios Ætolorum legatos eodem tempore Philippo et Antiocho arma suadere; Nabis enim tanto bello illigari fortasse non voluisset. Imo contra dixit Gythium oppugnari posse, nec propter hoc dignam causam existimaturos Romanos, cur legiones iterum in Græciam mitterent. Nabis, haud magno negotio persuasus, in maritimis oppidis seditiones concitare cœpit, et, teste Livio, alios principum donis ad suam causam perduxit, alios pertinaciter in societate Romana manentes occidit. Denique Gythium obsedit. Achæi, quibus harum civitatum tuendarum cura incubuerat, tyrannum ne pacem turbaret monuerunt, sed frustra, et ad Senatum, qui ea nuntiarent, legatos miserunt (1).

Anno igitur 192, Senatus Atilium prætorem cum classe in Græciam misit ad tuendos socios. Achæi vero, dum hæc agerentur, auxilio Gytheatas juverant, sed bellum tyranno indicere non ausi erant, adeo jam Romanorum auctoritatem subibant! Interim Nabis Achæorum agrum vastavit et Gythii acriter obsidioni institit. Ne præsidia in oppidum mari introducerentur, rursus comparavit classem, modicam quidem, tres tectas naves et lembos pristesque, et quotidie remigem militemque simulacris navalis pugnæ exercuit. Quum

1. Polyb., *Fragm. hist.*, 34. — Liv., XXXIII, 49; XXXV, 12-13. — Justin., XXXI, 3.

legati reduces nuntiavissent Romanos classem missuros, Achæi Sicyone concionati ad bellum gerendum inclinarunt. T. Quinctius, qui tunc in Græcia iterum, legatus populi Romani, erat, Achæos hortatus est ut classem Romanam exspectarent. At Philopœmen qui, e Creta insula regressus, prætor factus erat, metuens ne Gythium caperetur, ab Achæis impetravit ut oppidum illud sine mora sublevaretur. Rudis rei navalis, navem prætoriam legit et conscendit quadriremem vetustate labentem et jam putrem, quæ post quadragesimum annum in mare est deducta. Statim Nabis naves suas novas et firmas et nautas peritos obviam Achæorum classi misit; primo incursu, quadriremis divulsa est, capti fere omnes qui in navi erant, Philopœmene ipso vix elapso. Quibus visis, cetera classis Achæorum fugit (1).

Sane quidem Nabis putabat Philopœmenem non eum esse qui animum abjiceret et nunc Laconiam terra invadendam moliri. Itaque ab obsidione Gythii tertiam partem exercitus ad Pleias duxit. Sed ibi Philopœmen noctu et improviso Lacedæmonios dormientes oppressit et mox profligavit. Postea, Tripoli agro depopulato, ad Lacedæmonem ivit, ea mente ut Nabim ab obsidione Gythii abduceret, et castra promovit ad Barbosthenem montem, decem millia passuum ab Lacedæmone. Interim vero Gythium fuit a Nabide captum et occupatum, qui, cum fere omnibus copiis suis inde profectus, Achæis occurrit tunc Lacedæmonem petentibus et longo agmine in arctis locis decurrentibus; eos imparatos fortasse vicisset nisi, nocte interveniente, inconsulte procrastinasset. Postera die, expedita manus

1. Liv., XXXV, 22, 23, 25, 26.— Justin., XXXI, 3. — Plut., *Philop.*, XIV, 1-5. — Pausan., VIII, L, 6-7.

prælium inire et pedem referre a Philopœmene jussa pertraxit Nabidis auxiliares ad locum insidiarum nocte instructarum. Multi interfecti sunt. Tum Nabis ad urbem muniendam cum robore exercitus profectus est. Ceteri, Pythagoræ relicti ut hosti moram facerent, turbatis ordinibus abscesserunt. Teste Livio, ita multi ab Achæis cæsi captique sunt, ut vix quarta pars de toto exercitu evaserit. Attamen Nabim cum delectis copiis in urbe inclusum oppugnare Philopœmen non ausus est. Dies prope triginta vastandis Spartanorum finibus consumpsit (1). Quid postea actum sit in disputationem venit. Si Livio credis, Philopœmen, debilitatis tyranni viribus, domum rediit; nihil amplius hic auctor addit. Pausanias vero Nabim inducias cum Romanis pepigisse asserit. Plutarchus tandem, in *Vita Philopœmenis*, Quinctium, prætoris victoriam quum ægre tulisset, intervenisse et pacem cum tyranno fecisse affirmat; ego credo res prope ita fuisse. Livius ipse infra his verbis usus est : « Achæorum Philopœmenem principem « æmulatione gloriæ in bello Laconum infestum invi- « sumque esse Quinctio credebant ». Plutarchum quasi hoc bellum cum bello intra annum 195 a. C. gesto implicavisset historici recentiores arguerunt, mea sententia, immerito (2). In *Vita Philopœmenis* certamina anno 195 instituta omisit, quia Philopœmen tunc abfuerat; bellum autem anno 192 gestum, de quo nunc dicimus, in *Vita Flaminini* tacitum præterivit et in *Vita Philopœmenis* solummodo narravit, quia non primas partes tunc Flamininus tulit. Ergo, auctore Plutarcho, censeo a Quinctio Philopœmenem in receptum

1. Liv., XXXV, 27-30. — Pausan., VIII, l, 8-9. — Plut., *Philop.*, XIV, 6-11.

2. Cf. Hertzberg, *op. cit.*, I, 111, sub n. 2.

coactum esse, et Nabim iterum a Romano salutem accepisse. Ceterum Hertzberg in eadem sententia est; cur autem Plutarchum erroris insimulet et ejus tamen dicta sequatur non discernimus (1).

Attamen non credimus firmam pacem factam esse. Induciæ solum, ut ait Pausanias, sunt pactæ. Postea enim Nabis, incertus et suarum rerum trepidus, ab Ætolis sine intermissu auxilia petivit, quum his auctoribus arma movisset. Ætoli vero, qui pacisci cum Romanis nolebant et bellum tunc parabant, Nabidi ut a Quinctio defenso irati, tyrannum e medio tollere constituerunt. Eo occiso, se Spartam in potestatem facile habituros fortasse sperabant. Alexamenus igitur, missus ab Ætolis, cum mille peditibus et triginta delectis equitibus advenit, quasi auxilia petita adduceret, et Nabim milites inspicientem interfecit. (Circa annum 192 a. C. exeuntem) (2).

Ita periit dolo Nabis tyrannus, qui novis motibus Spartanorum civitatis statum mutavit, rem nummariam constituit, exercitum ordinavit valentiorem, classem composuit et in mari dominatus est, ad summam quindecim annos Achæos assidue lacessivit et fortunæ obstitit. Omnia sua sustinuit, non solum per externos mercenarios, sed etiam per egentes quibus opem tulerat, et per servos quos in libertatem vocaverat. Cum Cleomene haud sentiens, plebis præsidio in Peloponneso summa petivit. Inspicimus Spartanos eo regnante se liberos gessisse, quum Achæi jam Romanis servire cœpissent et vix eorum dignitatem Philopœmen susti-

1. Liv., XXXV, 30, 47. — Pausan., VIII, l, 10. — Plut. Philop., XV, 1-3.

2. Liv., XXXV, 34-35. — Cf. Pausan., VIII, l, 10. — Liv. XXXV, 41 : « Jam fere in exitu annus erat. »

neret; ex his apparet plebem plus quam optimates ad patriam tuendam valere. Sed plebi ducibus præstantibus opus est. Nabide statim mortuo, res Spartanorum dilapsa fuit.

CAPUT IV

EPITOME

Philopœmen concilio Achæorum communi Spartanos inserit. Spartani inter se discrepantes confugiunt omnes ad Romanos, qui et plebeios a Philopœmene in exsilium ejectos et optimates a plebe pulsos restituunt. Confusæ res Spartanorum ; Chæron vulgus turbat. At inter Græcorum civitates maximis malis oppressas, Sparta minus ægrotat.

Ætoli, Nabide occiso, non solum non excusationem paraverunt nec ullam rationem egregiam obtenderunt, at sua tantum natura utentes, prædari cœperunt. Spartani irati eos interfecerunt. In hac tanta rerum confusione, Philopœmen cum exercitu Spartam advenit. Tunc optimates qui etiamtunc in urbe vivebant sibi conciliavit et, invita plebe, Spartam Achæorum societati adjunxit. Plures annos Philopœmen pro domino se gessit erga Spartanos, principibus adjuvantibus. Domus et bona Nabidis vendita sunt. Fortasse ephori sunt restituti. Quod ad Heraclidarum principatum attinet, Livius asseverat Lacedæmonios nonnullos, post Nabim cæsum, quum Ætolos exturbare vellent, regii generis puerum quemdam, olim educatum cum liberis tyranni, adsumpsisse et in equum imposuisse, ut caput agendæ rei esset.

Nec vero Philopœmen nec optimates regem eligere voluerunt, qui forte tyrannus fieret (1).

Ita Spartani, tamdiu pertinaciter infensi Achæis, nunc eorum concilio communi jungebantur. Id profecto non optime actum est cum Achæis, quos assidue conturbatos plebs Spartanorum tenuit. Quum Philopœmen, ut olim Antigonus, eos innocuos facere vellet, haud magis quam Antigonus ex sententia rem gessit. Spartanos enim fortunæ pœnitebat, ut post Cleomenem fugatum. Nam exsules plerique in ora Laconiæ habitabant, civitati minabantur, nec immerito sperabant se a Philopœmene suo fautore mox reducendos. Præterea respublica longe turpius quam post Sellasianam cladem depressa erat, quum nunc oram et portus omisisset. Id ægre patientes Spartani ad novas res conspiraverunt, ut exsules averterent et liberum ad mare aditum simul ac emporia et peregrinis mercibus receptacula haberent (2).

Paulo post, anno 191 a. C., quum audivissent Antiochum aliquid in Græcia profecisse, Spartani cogitaverunt de bello Achæis et Romanis inferendo, adeo ut Ætoli, cum rege Syriæ sermonem habentes, Spartanorum amicitiam sperandam non injuria asserere possent. Quæ quum ita essent, Diophanes, Achæorum prætor, T. Quinctio assentiente, at Philopœmene quidem invito, Spartanos castigare constituit et Laconiam aggressus est. Philopœmen autem, iratus quod non audiretur, Lacedæmonem inivit et popularibus suasit ut consilium societatis mutandæ abjicerent: quæ Diophanes agere destinaverat non solum ad irritum ita redegit, sed,

1. Liv., XXXV, 36. — Plut., *Philop.*, XV. — Pausan., VII, viii, 4-5, VIII, li, 1.

2. Liv., XXXVIII, 30-31.

oppidi portis clausis, plane impedivit. Sic Philopœmen se gerebat, non quidem sordidi emolumenti causa, quum Spartanorum optimatum dona alto vultu rejiceret, sed valendi et auctoritatem habendi studio (1). Itaque, alio tempore, quum M. Acilius Glabrio consul ab Achæis postularet ut Lacedæmonios a tyrannis pulsos in patriam reducerent, huic proposito Philopœmen obstitit, quanquam exsulibus indulgebat; satis enim habebat suspensum tenere Senatum qui his jus regrediendi permiserat (2). Attamen Spartanorum plebs, non illusa, Philopœmenem haud immerito existimabat sibi repugnare et occasioni exsulum restituendorum imminere.

Anno 189 a. C. exeunte, Spartanorum plebs jugum Achæorum excutere et Romanos vocare constituit. Achæos a Romanorum amicitia disjungere utilitatis suæ causa conati sunt, et enim e Græcorum incommodo suam occasionem eo tempore et postea petiverunt. Quamobrem vicum Laconicæ oræ nomine Lan improviso occupaverunt. Ab incolis postera die expulsi sunt. At Lacedæmonii in hac regione habitantes et præcipue exsules, rerum suarum trepidi, ab Achæis auxilium rogaverunt, et Philopœmene adjutore, decretum impetraverunt ad exposcendos Spartanos qui vicum oppugnaverant et fœdus violaverant. Quo imperio tam superbo statim nuntiato, Spartani furentes triginta optimates Philopœmeni et exsulibus faventes interfecerunt, decreverunt renuntiandam societatem Achæis et M. Fulvium consulem oraverunt ut veniret in Peloponnesum ad urbem Lacedæmonem in fidem ditionemque populi

1. Appian., *De reb. Syriac.*, XII. — Plut., *Philop.*, XV, 6-11 ; XVI, 1-2. — Pausan., VIII, li, 1-2. — Polyb., XXI, xv.

2. Plut., *Philop.*, XVII, 4. — Pausan., VIII, li, 4. — Polyb., XX, xii, 4.

Romani accipiendam. Achæi vero bellum Spartanis intulerunt et eorum fines vastaverunt.

Romani, etiamnunc incerti quid in Græcia agendum esset, animo pendebant. M. Fulvius, quum Spartanos tanta offerentes repellere non vellet, utramque partem bello abstinere et legatos Romam mittere jussit. Legatis auditis, responsum Senatus reddidit perplexum. Romanis fluctuantibus, Philopœmen occasionem non amisit rem conficiendi. Prætor iterum factus, exercitum collegit, et veris anni 188 initio, cum exsulibus Laconiam inivit, et legatos misit ad auctores defectionis deposcendos. Qui se permiserunt, fide accepta a legatis vim abfuturam, donec causam dixissent, et cum quibusdam aliis iverunt. At ex his octoginta ab exsulibus furentibus et Achæis apud Compasium interfici Philopœmen aut non potuit aut noluit prohibere. Præterea Spartanis conditiones constituit graves atque acerbas.

I. Ilotæ et peregrini quos Nabis civitate vel agris donaverat bonis exuti et terra Laconica pulsi sunt. Tria millia ex his, quum discedere abnuerent, prætor comprehendit et vendidit. Nonnulli absentes capitis damnati sunt. Exsules contra, et in iis Areus et Alcibiades, de quibus infra sæpe loquemur, fuerunt reducti.

II. Spartanos in perpetuum conficere et proterere Philopœmen decrevit. Itaque muros urbis dirui jussit, et quæ res cives acerbo dolore affecit, Lycurgi leges moresque abrogavit, ut Achæorum disciplinam adolescentes acciperent eorumque legibus et institutis assuescerent.

III. Denique agrum Belbinatem, jamdiu in controversiam adductum, restituit Megalopolitanis, perpetuis

Lacedæmoniorum adversariis; imo in Megalopoli urbe, cum pecunia ex ilotis venditis redacta porticum quam Spartani diruerant refecit, eorum submissorum monumentum (1).

Ex his rebus Plutarchus collegit Philopœmenem sic paratum semper fuisse ut ob iram beneficia sua tolleret (2). Nosmet credimus Philopœmenem Spartanorum civitati olim temperavisse tantum ea mente ut aliquando eam sua voluntate mutaret. Plebem vero, quæ oram maritimam occupare et exsules e Laconia pellere volebat, proterere decrevit et negotium bene gessit, quum non solum ora extra Spartanorum dominium manserit, sed etiam exsules in patriam reducti et audacissimi inter plebeios interfecti sint.

Hæc autem victoria ad breve et exiguum tempus lata erat. Mox Achæi viderunt fore ut a se voluntas Romanorum, Spartanorum ope, abalienaretur, atque, ut ait Livius, ex hostibus eos accusatores factos, et periculum esse, ne victi magis timendi forent, quam bellantes fuis-

1. Liv., XXXVIII, 30-34. — Cf. Polyb., XXI, xvi; XXIII, i, 1; XXIV, iv, 5. — Plut., *Philop.*, XVI, 3-6. — Pausan., VII, viii, 5, ix, 2; VIII, li, 3. — Diodor., XXIX, 17. — Verisimile est Ægyticum quoque agrum a Philopœmene adjudicatum esse Megalopolitanis. Belminate et Ægytico, quæ ambo Parrhasiorum fuerant, Lacedæmonii jamdiu potiti erant. (Cf. Victor Bérard, *De arbitrio inter liberas Græcorum civitates*, p. 12.) Quum Megalopolitani totum Parrhasiorum agrum sibi vindicarent, Philippus rex causam ipse disceptare noluit, sed ex civitatibus plurimis commune judicium instituit: Belmina Megalopolitanis adjudicatum fuit. (Polyb., IX, xxxiii, 10-12. Cf. Liv., XXXVIII, 34). Posterius Cleomenes castella exstruxit in Ægytico et in Belminate agro et ibi præsidia collocavit; Antigonus autem, ubi Peloponnesum inivit, præsidia pepulit et agros Megalopolitanis tradidit. (Polyb., II, liv, 1-3). Deinde Belmina rursus occupaverunt Lacedæmoniorum tyranni. (Liv., XXXVIII, 34). Supra enim diximus a Lycurgo captum esse Athenæum oppidum, quod, teste Plutarcho (*Cleom.*, IV, 1) in Belminate agro situm erat.

2. Plut., *Philop. et Tit. compar.*, I, 6.

sent. Etenim mœnia diruta et Lycurgi leges ademptæ omnes Spartanos offenderant (1). Præterea quamque factionem pœnitebat fortunæ suæ, quum Philopœmen exsulum reductorum conditionem et sortem statuere non curavisset. Illorum « veterum exsulum » (τῶν ἀρχαίων φύγαδων), ut ait Polybius, alii asperiores volebant bonorum omnium a se ante habitorum in possessionem venire; alii modestiores petebant ut sibi de suis bonis ad talenti æstimationem redderetur. Plebs vero deplorabat reditum optimatibus concessum, et plerique eos qui a Philopœmene pulsi erant, id est « novos exsules », in patriam reducendos esse existimabant (2). Ne multa, omnes Spartani ad novas res spectabant, omnes ad Romanos contra Philopœmenem confugere volebant. Senatus autem ad eos benigne audiendos paratus erat. Profecto enim multos Romanorum via a T. Quinctio inita fatigare cœperat; ad aliam se transferre cogitabant: ut quisque Græcia humanitate perpolita amicissime utebatur, et eam infirmam quoque esse clarissime deprehendebat, ita vehementissime cupiebat prædam illam tam egregiam et tam facilem. Præterea Spartani venerationem afferebant Romanis, qui leges Lycurgi statim cognitas valde sunt admirati. Ergo hujus reipublicæ fortuna Romanos movebat, tam eos qui Græcorum civitates subigere jam cogitabant, quam illos qui eas esse liberas etiamtunc volebant.

Legatos in Italiam mittere cœperunt primum Spartani qui novis exsulibus indulgebant. Anno 187 a. C., M. Æmilius Lepidus consul illos exaudivit et litteras quibus Achæos increpabat eis dedit. Statim Philopœmen, ut Senatus voluntatem experiretur, Romam misit Nicode-

1. Liv., XXXIX, 35 et 33.
2. Polyb., XXIV, iv, 1-5.

mum Eleum, qui responsum ad Achæorum concilium pertulit et legit, ex quo intelligebatur displicuisse Patribus mœnia Spartæ diruta et cædem apud Compasium factam (1). Anno 185 ex Macedonia regressi sunt Q. Cecilius Metellus, M. Bebius et Ti. Sempronius, a Senatu legati ut querelas a Thessalis adversus Philippum delatas dijudicarent. Dum Græciam transeunt, ab eis Spartani rogaverunt ut res considerarent. Quo tempore celebrabantur Nemeorum solennia, id est anni 185/4 hieme, colloquium Argis habuerunt cum Aristæno prætore, Philopœmene, Diophane et ceteris Achæorum principibus. Q. Cecilius Spartanos asperius quam par esset tractatos esse dixit et concilium Achæorum commune convocandum petivit, ut injuriam emendarent. At Philopœmen recte omnia fuisse administrata affirmavit, et, eo auctore, visum est principibus concilium non dandum, quum per leges id non liceret, nisi a Senatu postulatum, rogatione scripto mandata. Legati irarum pleni discesserunt et, omnia ordine exponentes Patribus, eos inclinaverunt ut Spartanis etiam atque etiam faverent (2).

Anno 184 a. C., omnes Spartani, et qui Nabim adjuverant, et exsules a Philopœmene restituti, discordia prætermissa, conspiraverunt ad legatos Romam mittendos, in iis Areum et Alcibiadem. Illi demonstraverunt exhaustas esse vires civitatis, abducta per vim incolarum multitudine magna, muris dejectis, et civibus reliquis vera libertate exutis. Apollonidas Sicyonius, Achæorum legatus, eos excusare frustra contendit. Patres enim Appium Claudium in Græciam miserunt, ut res dijudi-

1. Polyb., XXIII, i, 1-4; vii, 5-6.

2. Polyb., XXIII, x. — Liv., XXXIX, 33. — Pausan., VII, viii, 6. — Diodor., XXIX, 17.

caret. Quibus cognitis, Lycortas prætor commune concilium indixit Achæorum, qui Areum et Alcibiadem, suo beneficio restitutos et sibi pessimam gratiam referentes capitis damnaverunt, Paulo post Romanorum legati advenerunt, iisque Clitore in Arcadia datum est concilium. Romanis statim sese ostendentibus, manifestum fuit quid sentirent, quum Areum et Alcibiadem secum producerent. Etenim Appius Claudius Achæos gravissimis verbis reprehendit quod civitatem nobilissimam et legibus suis per gentes præclaram tanta injuria protrivissent. Frustra Lycortas rationem facti probare contendit : « Non male, ait, civitati consuluimus, quum « concilii nostri eam fecerimus et nobis miscuerimus, ut « corpus unum et concilium totius Peloponnesi esset. » Appius vero, plenis minarum verbis usus, Achæos damnationem Arei et Alcibiadis tollere coegit, et Spartanis concessit ut legatos de rebus suis penitus introspiciendis Romam mitterent, quanquam decreto Achæorum publico interdictum erat ne qua ex communi consessu civitas privatam legationem moliretur (1).

Sentiebant enim Patres se, Areo et Alcibiade tantum auditis, res veras pernoscere non posse. Itaque suos quæque factio legatos habuit. Lysis postulavit ut omnes possessiones, quas optimates a Philopœmene reducti habuissent irrogati sibi exsilii tempore, eis restituerentur. Areus et Alcibiades, factionis modestioris procuratores, solummodo petiverunt ut « veteribus exsulibus » de suis bonis ad unius talenti æstimationem redderetur, cetera bene meritis civibus assignarentur. Plebs vero Serippum et Chæronem procuratores miserat. Serippus resistebat ne veteres exsules bona sua tota vel partim

1. Polyb., XXIII, xi, 5-8; xii; argum. cap. v. — Liv., XXXIX, 35-37. — Pausan., VII, ix, 2-4.

reciperent : Chæron autem, ad extremum prodiens, illos qui mortis damnati ab Achæis aut in exsilium pulsi fuerant reduci volebat. Omnes tandem reipublicæ libertatem et resurgendi facultatem reddi poposcerunt. Senatus Appium Claudium, Q. Cæcilium et T. Quinctium Flamininum delegit, qui controversiam cum Spartanorum legatis agitarent; quod arduum erat, quum optata inter se pugnarent, ac præterea Romani ab Achæorum voluntate omnino se abalienare non vellent. Denique tres viri hanc sententiam dixerunt, quæ Spartanis magna ex parte satisfecit :

I. Nabidis fautores qui a Philopœmene pulsi erant, vel, in fugam inclinati, absentes damnati mortis erant, in patriam reducti sunt, quum id vetaret Achæorum decretum columnæ inscriptum. Pronuntiatum est inique occisos esse quos Achæi occiderant.

II. Optimates a Philopœmene restituti nihil amplius impetraverunt.

III. Spartanis licuit mœnia reficere, et, ut mihi videtur, Lycurgi disciplinam rursus exercere.

IV. Civitas in Achaico concilio mansit. At, quod permagnum erat, Spartani capitis judicia non ad Achæorum concilium, sed ad exteros (id est ad Senatum Romanum) deferre potuerunt.

Xenarchus, qui Romam ab Achæis missus erat, illas conditiones probare debuit, et, ut perficerentur, Q. Marcius in Peloponnesum legatus fuit. (In principio anni 183 a. C.) (1).

1. Polyb., XXIV, iv. — Liv., XXXIX, 48. — Pausan., VII, ix, 5. — Cf. Plut., Philop., XVI, 7. Senatus, quum Spartanis permitteret ad exte-

Adscripticii igitur ab exsilio rediverunt. Nescimus quid facti sint illi qui essent venditi. At manifestum est « veteres exsules » tum temporis rursus pulsos esse. Plebs eo alacrior exsultavit quod paulo post Philopœmen a Messeniis adversus Achæos turbatis captus et occisus est; tum petulanter invecta est in Achæos. Quum Achæi Messenios Philopœmenis interfecti auctores in exsilium pepulissent, Spartani exsulibus illis suaserunt ut confugerent ad Senatum Romanum, imo, Appio Claudio juvante, a Patribus impetraverunt scelestorum reditum (1).

Ita plebs, ut tyrannorum tempore, valebat. Sed ei duces deerant, et Spartanorum fortuna jam ex Romanis tota pendebat. Veteres exsules necnon optimates qui in urbe manebant, quum in Romanis spem salutis ponerent, primum a Flaminino, qui Græciam ante Philopœmenem mortuum transivit, sed, nullo mandato de his rebus a Senatu accepto, quidquam tentare non ausus est, deinde a Patribus auxilium petiverunt, qui, certiores facti Achæos contra Romanum esse accensos, occasionem eorum terrendorum arripuerunt. Legationi enim optimatum responderunt id negotium ad se non pertinere; quid hæc perplexa verba significarent patefecerunt, quum legatis ab Achæis missis nuntiaverunt,

ros capitis judicia deferre, *arbitrio* utebatur, re jamdiu in Græcorum moribus posita. Cf. Victor Bérard, *op. cit.* Historicus ille bene ostendit Romanos, suam erga Græcos benevolentiam præ se ferentes, et arbitros inter civitates se proponentes, decidere non tam arbitrio quam potentia : « Non arbitrio inter civitates usi sunt Romani priusquam Pyrrhus in « Italiam venerit. Cujus arbitrium repulerunt. At postea, Græcorum mo- « ribus jam assuefacti, huic novitati favere, postquam experiri poterant « quantum valeret ad hellenicas res perturbandas Græciamque subigen- « dam » (P. 109-110).

1. Polyb., XXIV, v, 18. — Liv., XXXIX, 49-50. — Pausan., VII, ix, 6.

« etiamsi vel Lacedæmonii aut Corinthii aut Argivi ab « iis se abjungerent, mirandum Achæis non esse, si nihil « ad se eam rem pertinere Patres ducerent ». Ita Achæos relinquebant et Spartanis libertatem recuperandam pæne suadebant.

Ne Spartani hoc consilio uterentur, Lycortas prætor Achæorum multitudinis concilium indixit Sicyonem. Quo ut ventum, deliberationem proposuit de decreto quo Spartani in societatem communem inserti erant columnæ inscribendo et de veteribus exsulibus in patriam reducendis, exceptis Areo, Alcibiade et quibusdam aliis adversus Achæos ingratis. Quæ a concilio decreta sunt et statim Senatui ab Achæis et Spartanorum factionibus nuntiata. Quum Achæi Areum et Alcibiadem exclusissent, hanc facultatem arripuit Senatus impedimenta inferendi et nodos nectendi : itaque Cletin Diactorium legatum, qui petebat exsules universos, nemine excepto, restituendos, exaudivit et ei litteras dedit, quibus Achæos rogabat omnium exsulum revocationem. Achæi vero nihil movendum statuerunt. (Anno 181 a. C.) (1).

Senatum non eum credebant qui idcirco negotium faceret; sed errabant. Senatus enim, eventus beneficio utens ad se rebus Græcorum immiscendum, Achæis institit ut Areum et Alcibiadem reducerent. Inter Achæos, alii, et præcipue Hyperbatus Callicratesque, Romanis favebant et exsequendi quod Patres scripserant erant auctores; alii vero, ut Lycortas, libertatem et dignitatem Achæorum retinere contendebant. Anno 180, prætor Hyperbatus hanc rem in concilio rursus movit. Quum sententiis dissèntirent nec judicium facere auderent,

1. Polyb., XXIV, x-xi; XXV, i, 5-12; ii, 1-5, 9-10; iii, 1-2, 4-5. — Liv., XL, 2, 20.

Romam legatos miserunt ad illas sententias Senatui exponendas. Inter legatos erat Callicrates. Hic, occasionem amplexus imperii cupiditatis suæ Romanorum ope satiandæ, Patribus suasit ut inter Græcos amicos suos et inimicos distingueret, et inimicis non parceret. Patres, his verbis moti, intellexerunt multos forsitan esse inter Græcos, qui ad Romanas partes transire cogitarent. Itaque ad Achæos scripserunt, hortantes ut Spartanos exsules revocarent universos et Callicratem in exemplum assumerent. Ubi Callicrates in Peloponnesum reversus est, Senatus litteris metum populi Romani omnibus incussit et, favorem tantum jactans, prætor creatus est. Ut primum inivit magistratum, exsules revocavit, qui beneficium illud commemorarunt titulo quodam nostris temporibus Olympiæ effosso. Putat Polybius Achæorum rempublicam tum in deterius labi cœpisse. (Anno 179 a. C.) (1).

In illa turbulentissima tempestate quemadmodum res Spartanorum essent vix cogitari potest. Tredecimum annum, plebs erat extenuata et pulsa, dein restituta. Civitatem confusam et sine imperio trepidantem, omnia soluta, turbata, satis demonstrant quæ Chæron ad tyrannidem occupandam expertus est. Adolescens erat, infimo loco ortus, nec liberaliter educatus, sed gnavus et solers. Nabidis institutum sequi contendit. Anno 184 ad Senatum Romanum detulit querelas plebeiorum a Philopœmene pulsorum. Fama hoc modo comparata, Spartam regressus, vulgus turbare et populariter agere cœpit, apud plebem concionabundus. Nescio quo pacto, agrum quem Nabis sororibus ac conjugibus exsulum matribusque ac liberis concesserat, ipse infimis homi-

1. Polyb., XXVI, i-iii. — Dittenberger, 213.

nibus arbitrio suo divisit; publica pecunia quasi privata abusus, vectigalia profundere ausus est, absque ulla lege vel publico decreto vel magistratus auctoritate. Attamen demagogus adhuc erat, non tyrannus; nam cives nonnulli id egerunt ut quæstores ærarii constituerentur, ad furta ejus deprehendenda. Chæron vero Apollonidem quemdam, e collegio quæstorum, interdiu e balneo redeuntem interfecit. Quo audito, Aristænus, prætor Achæorum, Spartam profectus est, et Chæronem damnatum in carcerem demisit. Quæ adolescens tentaverat parum profecerunt, nisi ad augendum apud Spartanos studium pacis et securitatis, vel impendio libertatis. (Anno 183 a. C.) (1).

Romanis cum Perseo Macedonum rege pugnantibus, nescio quid egerint Spartani. Livius fert Leonidam Lacedæmonium, regii generis, cum Perseo communicavisse, et, litteris deprehensis, idcirco exsilio affectum ab Achæorum concilio, postea regi aperte præsto fuisse (2). Ergo, his temporibus, Spartani Achæorum etiamnunc fuerunt socii, nec voluerunt, Leonida excepto, Perseum juvare. Sine dubio armis non interfuerunt.

Perseo victo, Græciam miserandum in modum senescere satis constat. Atrocissime certant pauperes cum divitibus. Proletarii, ære alieno demersi, infestissimi sunt optimatibus, qui sese diligunt et ad se omnia rapiunt. Romanorum autem certum nunc est consilium Græciam subigere : eorum fautores jam terrore dominantur (3). Tantis malis Spartanos non oppressos fuisse

1. Polyb., XXV, viii. Agesilas quoque, Agide regnante, vectigalia cœperat decoquere (Plut., *Agis*, XVI, 1-2). At ephorus erat.

2. Liv., XLII, 51.

3. Polyb., XXXVII, iv.

credo. Agro toties diviso, fere æquabiliter bona erant dispertita; idcirco Chæronis incepta secus cecidere; præterea populares omnes favebant Romanis, qui et plebeios a Philopœmene pulsos et optimates pulsos a plebe reduxerant. At Spartani pristinam imperandi cupiditatem posuerant. Anno 167 a. C., Paulus Æmilius Lacedæmonem adivit, « disciplina institutisque memorabilem » (1). Civitas illa jam « memorabilis » erat, et nihil amplius.

1. Liv., XLV, 28.

CAPUT V

EPITOME

Spartanos simultates perpetuas cum Achæis exercentes ad fœdus prorsus rumpendum Menalcidas hortatur. Senatus jussu ab Achæorum societate secreti, in supremo bello Romanorum tenent partes.

In extremis libertatis Græcæ temporibus, Achæorum societatem Spartani sensim deseruerunt, in dies infirmiorem, et Romanis eorumque fautoribus continendis imparem. Dicit haud immerito Justinus Spartanos et Achæos mutuum odium inter se habuisse (1). Circa annum 165 a. C. cum Megalopolitanis, sine dubio de Belminate et Ægytico agris, quos his Philopœmen anno 188 assignaverat, litigare rursus cœperunt. Hujus controversiæ dirimendæ curam Senatus Romanus dedit C. Sulpicio Gallo et M. Sergio, tunc in Asiam missis; qui eam cognitionem rejecerunt ad Callicratem, protervum Romanorum fautorem (2). Quomodo res postea se habuerint titulus Olympiæ effossus, temporibus illis sine dubio tribuendus, sed truncus, fortasse demonstrat (3). Particulas reliquas legendo, vides

1. Justin., XXXIV, 1.

2. Polyb., XXXI, ix, 7. — Pausan., VII, xi, 1-2, sane errat quum inter Lacedæmonios et *Argivos* controversiam fuisse asseverat.

3. Dittenberger, *Inschriften aus Olympia*, in *Archæol. Zeit.*, ann. 1879, p. 127 et seq., sub. nº 259.

judicium ab arbitris fieri de Ægytico agro et, ut verisimile est, de Belminate (1); litigium autem non inter Megalopolitanos et Spartanos, sed inter Achæos et Spartanos pendere (2); præterea cernis ab Achæis pecunia Spartanos esse mulctatos (3). Itaque putavit Dittenberger, qui hanc inscriptionem edidit, Callicratem causam Megalopolitanis adjudicavisse; Lacedæmonios vero huic sententiæ non obediisse; tum, Megalopolitanis res repetentibus, Achæos mulctam Spartanis dixisse; quam quum solvere non vellent, denique, Romanis intervenientibus, arbitros electos esse et sententiam pronuntiavisse in hoc titulo expositam (4). Quæ explicatio ad veri similitudinem esse nobis videtur. Ex hoc intelligi potest quot et quanta negotia Spartani Achæis facesserent.

Societatis Spartanorum cum Achæis omnino divellendæ tempus a Lacedæmonio quodam nomine Menalcida, qui omnia ad utilitatem suam referebat, fuit maturatum. De quo memoriam primum accipimus quum in Ægypto pro ambitioso et cupido se gessit : teste Polybio, angustiis regum Ægypti usus ad rem familiarem augendam, in carcerem ab eis conjectus est, deinde, post Perseum apud Pydnam victum, C. Popilio petente, missus est (5). Libertatis et patriæ compos, ad honores viam sibi munivit, adeo ut anno 150 Achæorum concilii prætor fieret. Eodem anno, Oropii, qui nonum annum cum Atheniensibus pugnabant, ab Achæis auxilium petiverunt. Quum nihil impetrare possent, ad Menalcidam confugerunt et

1. Dittenberger, *Inschriften*, 259, v. 35.
2. V. 2.
3. V. 5.
4. Dittenberger, loc. cit., p. 131. — Romanorum nomen in v. 43 reperias.
5. Polyb., XXX, xi, 2.

eum decem talentis oblatis ceperunt. Tum consilia communicavit cum Callicrate qui, apud Romanos gratiosus, auctoritate florebat; hic autem, ea conditione ut dimidium pretii pacti sibi tribueretur, Menalcidam juvit et auxilium ab Oropiis petitum Achæis suasit. Pecunia soluta, Menalcidas promissum non fecit et pretium totum sibi servavit. Callicrates vero accensus Menalcidam judicio capitis apud Achæos concionatos arcessivit, quasi fallacias composuisset ad Spartanos ab eis abalienandos. Ut periculum averteret, Menalcidas donis emere debuit Diæum, qui proximus post eum prætor factus erat (1).

Res illæ insigni infamia simul Callicratem, Diæum et Menalcidam in discrimen adduxerunt. Quid postea sit actum Pausanias, incertus auctor, solus nobis narrat. Credimus Menalcidam, quum fortunam suam apud Achæos periclitari videret, Spartanos adhortatum esse ad fœdus frangendum et plurimis parvo labore fidem fecisse; — Spartanos autem ad Patres perpetuum de finibus jurgium detulisse, at Senatum respondisse se cognitionem tantum rerum capitalium exercere; — Diæum et Callicratem, quum flagitii memoriam bello abolere cuperent, suasisse ut Achæi Spartanos superbe tractarent et in jus illos vocarent qui consiliorum cum Romanis consociandorum auctores fuissent. Consilia cum externis gentibus consociare et Achæorum societatem prodere capitale erat; Achæi quidem de capitalibus Spartanorum rebus, secundum sententiam a Romanis ipsis anno 183 latam, inquirere non debebant: at Diæus, recenti Patrum responso adulterato et in perversum emutato, asseverabat causas omnes, jussu Senatus, ab

1. PAUSAN., VII, XI, 4, 7-8; XII, 1-3. — Cf. POLYB., XXXIII, I, 9; XII *a*, 4.

Achæis dijudicandas esse. Spartani Diæum refutaverunt et legatos qui rem ad Senatum referrent mittere voluerunt; quod Achæi non passi sunt (Ann. 149 a. C.).

Spartani autem, quum bellum adversus Achæos sustinere soli non possent, in sermonem venerunt cum civitatibus societatis nonnullis, at nullum auxilium impetrarunt. Tum civitatis senatores (οἱ γερόντες) abs Diæo petere ut cives indicaret quos perturbationis auctores arbitraretur. Quatuor et viginti principum nomina edidit, qui, ad bellum vitandum, patria decesserunt. Eos vix profectos Spartani capitis damnaverunt per speciem, ut Diæo satisfacere viderentur necnon Achæis judicium illud tollerent. Revera, exsules Romam se conferre jussi et Menalcidas missus ut Senatum rogaret eorum revocationem. Quæ res ut cognita est, Achæi ipsi ad Patres Diæum legaverunt, et simul Callicratem qui in itinere mortem obivit.

Menalcida atque Diæo auditis, Senatus legatos misit qui controversiam componerent. Sed ante legatos in Græciam advenerunt Diæus et Menalcidas. Uterque ad se omnia trahens Patrum in gratia se fuisse contendit. Diæus enim dominium in Spartanos datum Achæis a Senatu fuisse asseveravit; alter autem, Romanorum quidem recte interpretatus mentem, factam esse Spartanis potestatem dixit ab Achæis deficiendi. Ad summam, Diæus et Menalcidas auctores fuerunt, alter Achæis, alter Spartanis, ut bellum facerent, quod sibi utilitati esse quisque credebat. Q. Cæcilius Metellus, tunc in Græcia agens ut Andriscum, Macedonum regni affectatorem, opprimeret, Achæos adventum legatorum Romanorum exspectare frustra jussit. Damocritus prætor bellum instruxit. Tum Spartani, quum Q. Cæcilii alias occupati auxilium sperare non possent,

redeunte pristina virtute obviam hostibus iverunt, sed, viribus præstantioribus obtriti, loco commoti sunt, cum cæde mille juvenum delectorum, nec urbem ipsam servavissent, nisi Damocritus, ejus occupandæ prætermissa opportunitate, tempus prædando consumpsisset. Achæi vero, minime contenti, arguerunt prætorem proditionis, et in ejus locum Diæum ipsum suffecerunt. Qui, Metello petente, inducias dedit dum legati Senatus accederent, sed interim oppida omnia Spartæ objacentia in Achæorum fidem callide redegit et præsidiis firmavit (1).

Reipublicæ duces egregii adeo deerant ut adhuc Menalcidas auctoritate maxime valeret. Ei certaminis cura incubuit. Res tamen ad ultimum periculum venerat, quum civitas tot juvenes desideraret, et, oppidis adversis cincta, pecunia atque annona laboraret; fruges enim seri non potuerant. Utrum Romanorum adventum exspectare possent, an summis viribus hostes aggredi deberent, Spartani disceptaverunt. Denique Menalcidas, nullam moram putans faciendam, inducias sustulit et Jasum, unum ex oppidis quæ Achæi præsidio firmaverant, invasit et diruit. At deinde, quum a multis Spartanis improbaretur, et omnium animos frangi videret, rebus suis ipse diffisus est et veneno sibi mortem conscivit (Ann. 148-147 a. C.) (2).

Inter hæc L. Aurelius Orestes ceterique Senatus legati in Græciam advenerunt. Romanos jam quæsivisse locum Achæorum invadendorum, qui soli adhuc ex Græcia universa nimis potentes viderentur, credit Jus-

1. PAUSAN., VII, XII, 3-9 ; XIII, 1-6. Inter hæc oppida Spartæ vicina, fortasse erant Geronthræ et Marius, mediterraneæ urbes Nabidi olim relictæ, at posterius Eleutherolaconum societati insertæ. V. infra p. 94.
2. PAUSAN., VII, XIII, 7-8.

tinus, auctor quidem non diligentissimus. Dicit Polybius contra eis in mente tunc non fuisse bellum Achæis inferre. Mea sententia, Romani Græciam subigere jam decreverant, sed certaminibus adversus Macedones et Pænos etiamnunc occupati, concilium Achæorum commune enervandum, imo sensim dirimendum sperabant, armis non usuri, nisi ultima necessitate coacti. Itaque legati, Senatus mandatis instructi, Corinthum vocaverunt Diæum prætorem et magistratus qui societatis civitatibus præerant, et pronuntiaverunt Patribus placuisse ut Spartanorum civitas necnon quædam aliæ ab Achæorum concilio secernerentur. Postquam res illa in vulgus urbis Corinthi elata est, popularis coorta concitatio, quum superbam Senatus sententiam sibi esse servitutis initium non injuria arbitrarentur. Odium expromunt in Spartanos, qui malis artibus societatem perdiderint Græcorum; mox ira prorumpit; omnes Spartani in urbis viis inventi occiduntur; illos qui ad Aurelium pervenerunt extrudere contendunt. Aurelius frustra intervenit : Spartani quos tuendos susceperat in vincula conjiciuntur; quin etiam, legati Romani ipsi, probris increpiti, fuga salutem petere debent. (Ann. 147 a. C.) (1).

Achæi tamen, iracundia remissa, Romam legatos mittunt, qui se Spartanis solum infestos fuisse affirment. Senatus, tum negotiis multis impeditus, J. Sextum cum mandatis mitibus legat. In colloquio apud Ægium facto, J. Sextus ab Achæis tantummodo petit ut Spartanis abstineant. Tum Diæus, Critolausque haud pridem factus prætor, ex utriusque commodo res cum Spartanis compondituros pollicentur. J. Sextus, ut pactio fiat, in Tegeam urbem vocat legatos Achæorum et Spartano-

1. PAUSAN., VII, XIV, 1-3. — DION. CASS., *fragm.* LXXII, 1. — JUSTIN., XXXIV, 1. — LIV., *Epitome lib.* LI. — Cf. POLYB., XXXVIII, I.

rum. At Diæus et Critolaus, responsum Senatus haud ferox secum reputantes, et quot quantisque curis nunc impediatur in animo volventes, occasionem arbitrantur sibi oblatam ad Græciam liberandam. Itaque Critolaus, Tegeam solus ingressus, absque populi consensu de Lacedæmoniorum rebus statuere se non posse dicit; ceterum omnia ad Achæos proximo conventu, post sex menses celebrando, relaturum. Deinde bellum sine mora parat. Anni 146 mense maio Achæis Corinthi concionatis, Cn. Papirio, Aul. Gabinio et C. Fannio præsentibus, de Lacedæmoniorum re deliberatur. Romani, bellum statim inferendum vitare et Spartanis auxilio esse contendentes, ad pacem Achæos adducere volunt, sed frustra. Critolao enim auctore, Achæi Spartanis bellum denuntiant. Quo audito, Senatus, quum intellexisset bellum adversus Romanos revera indictum esse et Græcos prælio se parare supremo, cum exercitu L. Mummium mittit. Nequicquam Q. Cæcilius, in pacificationem se interponens, Critolaum rogat ut Spartanos a societate secernat; bellum tamen erumpit (1).

Quid deinde actum sit, quomodo Critolaus et Diæus, injuria quidem a Polybio historico spreti, viriliter sed inaniter pro Græcorum libertate certaverint, inter omnes constat. Non contigit ut historici partes a Spartanis in bello susceptas ostendere curarent. Credimus Cn. Papirium, quum post Corinthiacam concionem, teste Polybio, Lacedæmonem ivisset (2), ibi exercitum ordinavisse ut Spartani fines adversus Achæos tuerentur, fortasse ut Romanis auxilio essent. Græcorum res venerant eo jam loci ut Leonidæ et Agesilai pronepotes

1. Polyb., XXXVIII, i-v. — Pausan., VII, xiv, 3-7 ; xv. — Diodor. XXXII, xxvi, 4-5. — Dion. Cass., *fragm.* LXXII, 2.

2. Polyb., XXXVIII, v, 9.

(nunc quidem mixti adscripticiis ignotæ originis multis) Mummium ad patriam communem subigendam juvare deberent et vellent. Ceterum eos Romanorum fidem servasse patet, quum ab imperatore victi et subditi Achæi ducenta talenta jussi sint solvere Spartanis (1).

1. Pausan., VII, xvi, 10. Hæc mulcta, cum aliis, post aliquot annos a Romanis sublata fuit.

EPILOGUS

Hæc hactenus. Quid Spartani, ditionis Romanæ facti, egerint non rursus post diligentissimum historicum Hertzberg enarrare constituimus. Eos tamen pro amicis a populo Romano tractatos esse breviter demonstrandum est.

Quomodo, diruta Corintho, cum Græcis actum sit historici in diversum trahunt (1). Achaïam provinciam non statim factam esse credi potest. Quidquid est, Græci libertatem veram amisere. Spartani igitur pristinum imperium suum restituendum sperare non potuerunt. Attamen Pausanias oppida Laconiæ in ditionem Spartanorum redivisse nec ante Augusti regnum liberata esse asserit (2). Demonstrant contra plures tituli et nummus, imperatorum ætate antiquiores, civitates illas diu ante Augusti tempus societatem inivisse quæ vocabatur Κοινὸν τῶν Λακεδαιμονίων (3). At fortasse, ut G. Weber conjectura suspicatus est (4), Romanis ob civilia bella

1. V. Hertzberg, I, 265 et seq.

2. Pausan., III, xxi, 6. — Strabonis locus de hac re (VIII, v, 5) est incertus.

3. Titulorum præcipui editi sunt a Foucart, sub nis 228 *a*, 255 *d*. — Nummus perceptus est a Prokesch Osten, qui brevissime illum descripsit : *Revue de Numismatique*, ann. 1860, p. 271-272. C. Cavedoni (*Bullettino dell' Instit. Archeol.*, ann. 1861, p. 111-112) ei studium dedit, eumque Cyparissiæ Laconum urbi haud immerito tribuit ; inter nummos Augusto antiquiores Foucart illum reponit (*op. cit.*, p. 111).

4. Weber, *De Gytheo*, p. 32.

Græcorum negotia negligentibus, Spartani urbium illarum nonnullis sensim potiri voluerunt. Itaque earum Augustus libertatem confirmavit; ex eo tempore nomen illis *Eleutherolaconum civitates*, ut discernerentur ab oppidis quæ Spartanorum republica continebantur. Primum quatuor et viginti fuerunt Eleutherolaconum civitates; postea sex evanuerunt, vel fortasse cum Sparta cohæserunt. Accipe duodeviginti civitatum nomina illarum quæ Pausaniæ tempore manebant liberæ : Gythium, Teuthrone, Las, Pyrrichus, Cænepolis, Œtylus, Leuctra, Thalamæ, Alagonia, Gerenia, Æsopus, Acriæ, Beæ, Zarax, Epidaurus cognomento Limera, Brasiæ, Geronthræ, Marius (1). Sedes societatis erat Neptuni fanum Tænarium. Habebant prætorem annuum creatum, concilium et ærarium communia. Quæque civitas suas res curabat. Quum in nonnullis ephoros, senatum, concionem inveniamus, fortasse eodem modo omnes fuisse temperatas credi potest (2). Quo verum tempore *Societas Lacedæmoniorum* constituta fuerit in perplexo adhuc habetur. Auctores enim sunt incerti, et Laconicæ inscriptiones satis recentes sunt, raræ vel Augustei ævi. Fortasse credis hanc societatem, præcipue quidem ex maritimis urbibus constitutam, primum continuisse oppida Nabidi adempta (3), deinde urbes aliquas a Spartanorum republica amissas. Nosmet

1. PAUSAN., III, XXI, 7. — O. MULLER (*Die Dorier*, II, 17, sub n. 4), fingit sex civitatum a societate secretarum alias Messeniis redditas esse (ut fortasse Pharas et Abeam), alias esse ab incolis desertas (ut fortasse Pephnum, Helum, Cyphantam, Leucas).

2. FOUCART, *op. cit.*, p. 111. — BŒCKH, I, p. 608. — Cf. Geronthræum titulum insignem a doctissimo viro NEWTON editum, *Greek inscript. in the British Museum*, II, sub nº 143.

3. Sic existimat TH. MOMMSEN, *Römische Geschichte*, V, *Die Provinzen* (Berlin 1885), p. 238.

vero putamus oppida maritima non statim inter se coivisse : quo enim tempore Gythium et Las oppugnata fuerunt, ceteras oræ civitates in concilium convenisse ad Spartanos pellendos nullus auctor asserit. Dicit Livius oppidorum oræ tuendorum curam Achæis a T. Quinctio datam esse, sed de societate silet (1). Præterea titulos habemus, alteri sæculo tribuendos, quibus Geronthræi Spartanos quosdam proxenia donant. Geronthræ urbs erat in montibus solis orientis sita. Eleutherolaconum societati in primo a. C. sæculo se contribuebat ; fortasse liberata est quo tempore Diæus prætor cum aliquibus Spartæ vicinis oppidis fœdera junxit. Quum in inscriptionibus illis nulla fiat mentio magistratuum *Societatis Lacedæmoniorum*, ex hoc fortasse colligi potest eas exsculptas esse, Geronthræis jam quidem extra Spartanorum dominium versantibus, sed nullo fœdere ceteris Laconiæ civitatibus adhuc junctis (2). Ne multa, ut nobis videtur, civitates Laconicæ Spartanis ademptæ suis legibus singulæ in Achæorum fide diu vixerunt, nec ante Corinthum dirutam, fortasse non ante alterius sæculi exitum, *Lacedæmoniorum societatem*, Romanis suasoribus, fecerunt.

Quidquid est, Spartani oppida maritima non receperunt. Agrum Dentheliatem omiserunt quoque, de quo usque ad Tiberii regnum cum Messeniis litigaturi erant (3). At ceteræ Laconiæ urbes, Pausaniæ historici

1. V. præcipue lib. XXXVIII, 30-31.

2. Foucart, 228 c. — Bœckh, 1334.

3. Dentheliates ager Messeniis ab Antigono Dosone Macedonum rege addictus erat. V. supra p. 32. Quid de hoc jurgio post Corinthum dirutam actum sit proponitur duobus documentis, et sensu et auctoritate disparibus. Tacitus (*Ann.*, IV, 43) causam a Mummio Messeniis adjudicatam esse breviter asserit ; titulus vero longus, a doctissimis viris Neubauer (*Archæol. Zeitung*, ann. 1876, p. 128 ; ann. 1878, p. 104) et Dit-

tempore, non sui juris erant, sed Spartana civitate continebantur (1).

Ad summam, Spartani liberaliter et honorifice tractati sunt a Romanis. Strabo his verbis utitur : « Ἐτιμήθησαν διαφερόντως καὶ ἔμειναν ἐλεύθεροι, πλὴν τῶν φιλικῶν λειτουργιῶν ἄλλο συντελοῦντες οὐδέν » (2). Hertzberg demonstrat Spartanorum civitatem ad ultima imperii Romani tempora magnam et opulentam fuisse, eosque « libertatem » servasse putat donec Theodosius II unam omnium esse administrationem voluerit. Ceterum, revera liturgiæ de quibus Strabo loquitur acerba tributa erant; libertatis autem nomen in dies levius et inanius imperatorum tempore factum est (3). Sed, quum veram libertatem non habes, libertatis speciem diligentius retines. Itaque leges et mores antiquos, qui nihil momenti nunc habebant, Spartani gloriose ostentaverunt. Eis honores pris-

TENBERGER (sub nº 240) ac BÉRARD (*op. cit.*, p. 6-8) editus et annotatus, continet sententiam de hac lite factam a Milesiis, quos Messenii et Spartani arbitros elegerant. Milesii, concione in theatro facta, ex omni populo sexcentos judices sortiti sunt, qui Messeniis litem adjudicaverunt. Milesios ad disceptandum vocatos esse, idcirco quod Mummii sententiam Spartani recusavissent, putant Neubauer et Bérard. Sed, ut ait Dittenberger, « Mummium definite decrevisse ut Messeniorum esset ager, nusquam « in hoc titulo legitur ; quod decretum tamen, si modo factum erat, nullo « modo taceri potuit. Imo Mummius statuisse videtur ut utrique tene- « rent quod tum habuissent quum ipse in Græciam perveniret. Ex hac re « lis orta est, quia utrique se tum temporis in possessione fuisse dicebant. » Sic prorsus intelligimus. Tacitus errare potuit; Mummium vero contra Spartanos, Romanorum amicos, sententiam ipsum dixisse non verisimile est. — Milesiorum arbitrio lis dirempta fuit paulo post Corinthum captam, fortasse anno 145 exeunte. Cf. DITTENBERGER, sub nº 240, v. 43-46, et sub notis 5-6.

1. PAUSAN., III, XXI, 7.

2. STRAB., VIII, V, 5. Cf. IX, II, 39.

3. HERTZBERG, I, 472, 480; II, 131, 223, 384, 453. — FOUCART, p. 111, 120. — EGGER, *Traités publics*, p. 206-208. — MOMMSEN, *op. cit.*, p. 240 et seq.

tinos Romani esse siverunt, parum mutatos. Habuerunt enim, testibus titulis compluribus, quatuor et viginti senatores (1), quinque ephoros (2), sex patronomos (3), quinque nomophylaces (4), sex bideos (5), octo agoranomos (6); manserunt quoque pedianomi et hipparchi (7), spondophori (8), gymnasiorum et ludorum varii curatores (9) etc... Patrios autem mores servarunt Spartani majore studio ceteris Græcis omnibus. Non solum Lycurgi religio (10) sed leges ei tributæ tum quum maxime fuerunt cultæ. Refloruit puerorum Lycurgea educatio, quam Philopœmen abolere contenderat (11). Tullius enim et post eum Pausanias Lacedæmone viderunt « adolescentium greges incredibili contentione « certantes pugnis, calcibus, unguibus, morsu denique, « quum exanimarentur priusquam victos se faterentur » (12). Tullius, Pausanias, Philostratus, Plutarchus et multi alii adfuerunt pueris Spartanis ad aram Dianæ Orthiæ verberibus nonnunquam etiam ad necem accep-

1. Foucart, sub n° 173 *a*, cum comment. — Cf. Bœckh, I, p. 610.

2. Bœckh, sub n^is 1237-1245, 1247, 1249, 1252, etc. Cf. p. 608. — *Bullet. de corr. hell.*, ann. 1877, p. 383-384.

3. Bœckh, sub n^is 1237, 1240, 1241, 1243-1245, etc. — Ross, *Inscr. ined.*, Fascic. I, sub n° 13. — Foucart, 162 *a*, cum comment. — Cauer, 6, 7. — *Bullet. de Corr. hell.*, ann. 1877, p. 379.

4. Bœckh, 1237-1240, 1244, 1248-1252, etc... ; cf. p. 608. — Foucart, 168 *g*, cum comment. — *Bull. de Corr. hell.*, ann. 1877, p. 381, 385.

5. Bœckh, 1241-1242, 1254-1256, 1258, etc... ; cf. p. 609. — *Bullet. de Corr. hellén.*, ann. 1877, p. 379. — Pausan (III xi, 2) bideos quinque numero esse injuria asserit.

6. Bœckh, 1241, 1364, 1375, 1379. — Foucart, 168 *b*. — *Bullet. de Corr. hell.*, ann. 1885, p. 515.

7. Foucart, 168 *e*, 168 *h*.

8. Bœckh, 1240, 1249, 1253.

9. Bœckh, 1326, 1349, 1353, 1365, 1379, etc.

10. Bœckh, 1256, 1341-1342, 1362, 1364.

11. Pausan., VIII, li, 3.

12. Cic., *Tuscul.*, V, 27 ; II, 20. — Pausan., III, xi, 2 ; xx, 8.

tis (1). Pueris omnium fortissimis statuæ ponebantur (2). Disciplina qua Lacedæmonii Græcorum strenuissimi et militia optimi erant facti, studiose retinebatur. Syssitia enim (3), processio ad tibicinis modos (4), veteres cantus bellici (5), saltatio quæ Pyrrhicha vocabatur (6), sedulo conservata sunt. Barbam semper abradere solebant superiore labro (7). Imperatorum tempore, Lacedæmonii juvenem quemdam nobilem in judicium adduxerunt, insimulatum Lycurgeæ legis perruptæ mari negotiando (8). Laconica brevitas etiamnunc erat fama celebris (9), et fortasse congressus ille qui λέσχη vocabatur non exoleverat. Teste tandem Plutarcho, in antiquum restituerant reverentiam senibus debitam (10). His permanentibus moribus Romani valde afficiebantur, nec occulta miratione Tullius fert « Lacedæmonios solos toto « orbe terrarum septingentos jam annos amplius unis « moribus et nunquam mutatis legibus vivere » (11).

Falsæ autem imagines tibi non fingendæ sunt. Noli enim putare Spartanos, antiqua disciplina utentes, optimatum ad arma solummodo spectantium corpus ut olim fuisse. Dorum enim vel eorum qui civitate a tyrannis donati erant, vel etiam periœcorum aut ilotarum

1. Cic., *Tuscul.*, V, 27; II, 14. — Pausan., III, xvi, 6. — Philostr., *Vit. Apoll.*, VI, xx, 5; VII, xlii, 5. — Plut., *Lyc.*, XVIII, 2.

2. Bœckh, 1350, 1364 *b*. — Foucart, 175 *b*.

3. Dion. Cass., LIV, 7.

4. Cic., *Tuscul.*, II, 16.

5. Dion. Chrysost., *Orat.* II (Ed. Dindorfius, ex typis Teubneri, p. 33).

6. Athen., XIV, 29 (Ed. Kaibel, ex typ. Teubn.)

7. Plut. *De sera num. vind.* IV (*Moralia*, ed. Didot, I, 665).

8. Philostr., *Vit. Apoll.*, IV, xxxii.

9. Philostr, *Vit. Apoll.*, IV, xxvii, 2.

10. Plut., *An seni sit ger. resp.*, XXIV, 6 (*Moralia*, II, 972.)

11. Cic., *Pro Flacco*, XXVI. — Cf. Dion. Chrysost., *Orat.* XXV (Ed. Dindorfius I, 311).

posteri fere ex æquo vixerunt et eadem jura habuere. Lacedæmoniis, qui, præter ilotas, quondam semper habuerant mancipia (1), hæc nunc sola in famulatu fuerunt. Ergo, quum res tyrannorum et certamina Spartanorum atque Achæorum simus persecuti, Lacedæmoniorum reipublicæ suprema tempora vere narravimus. Mithridatico bello et civilibus motibus illigati (2), sine dubio quidem inviti, Lacedæmonii, imperatorum ætate, in intimo sinu pacis dormitaverunt. Quæ quum ita essent, Lycurgi disciplina nihil amplius erat quam inane monumentum, patriæ caritate diligenter sustentatum, sed non utile nisi ad peregrinatores delectandos. Quando enim, Gallieno regnante, Gothi Græciam invaserunt, Spartani inertes Laconiam a Barbaris diripi siverunt (3).

Lacedæmonios, veteris disciplinæ neglectæ et reipublicæ male a tyrannis gestæ causa, defloruisse atque laude et postremum libertate orbatos esse Polybius Plutarchusque existimant (4). Id nos contra putamus. Sane quidem in tertio a. C. sæculo res Lacedæmoniorum, teste ipso Plutarcho, dilabebantur et mores antiqui obsolescebant. Sed res subito excitatæ sunt, nec ab aliis quam a Cleomene, Machanida et Nabide tyrannis, postremis quidem præstantium Spartæ civium. Non solum, Græcorum libertatis temporibus supremis, instituta pristina Spartani non neglexerunt, sed tunc magis quam unquam alias ea coluerunt; imo a tyrannis præcipue vocati sunt ad ea colenda. Tyrannos enim stipa-

1. Schœmann, *Antiq. grecques*, I, 236.
2. Cf. Hertzberg, I, 335, 440, 449.
3. Hertzberg, III, 155.
4. Polyb., IV, lxxxi. 12-13. — *Instit. Lacon.*, XLII.

runt ut Antigono et Achæis, fortitudine antiqua revocata, strenue resisterent. Quibus autem temporibus nullum invenerunt ducem Cleomeni vel Nabidi parem, Lacedæmonii, hanc propter inopiam, Romanorum jugum acceperunt, Achæorum auctoritati præferendum. Profecto quidem tyranni illi universas antiquas leges non servarunt, novas autem res fecerunt; at vero, ut demonstravimus, ad veterem patriæ dignitatem restituendam statum civitatis conturbarunt, quum tempora priora semper invocare solerent. Nabis ipse retro respiciebat et Lycurgum obtestabatur (1). Itaque præsentis ætatis secta quæ socialista vocatur, exemplorum ab historicis petendorum immerito cupida (2), Spartanos rerum novarum molitores ut majores suos appellare non debet, quum Spartani non formam optimæ reipublicæ exprimere sed patriæ laudem restituere vellent.

1. Liv., XXXIV, 31.
2. Cf. Pœhlmann, *op. cit.*, p. 253.

INDEX CAPITUM

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,

a. d. viii. Idus Aug. ann. mdcccxciv.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur.

Pro Academiæ Parisiensis Rectore,

Academiæ Inspector,

V. DUPRÉ.